curriculum veſtrum, poſtmodum etiam adeo feliciter in viis Domini cucurriſtis: quis vos detinuit? Quis extinxit ignem divinum, quo animabamini. Quod difficillimum erat, jam ſuperatum fuerat, jam primum illum, arduumque greſſum, qui ab impiorum commercio vos arcebat, abſolveratis: quo igitur veſter ceſſit ardor? Excuſationes veſtræ admittendæ non ſunt; verus virtutis defectus diſſipavit bonos ſenſus, quos olim fovebatis, & vobis abſcondit periculum, in quo eſtis. Injuſta negotia, ſecretæ amicitiæ, moroſum ingenium, diſſimulata ſuperbia, ſimulata etiam reverentia; hæc ea ſunt, quibus tepor hic veſter referendus eſſet acceptus. *P. la Peſſe, & recens quidem.*

Adhortatio ad fervorem.

Cur mihi non eſt zelus, & probitas Moyſis? Vobis dicerem, quod olim dixit ad Iſrael, cum ulciſci voluit injuriam, qua populus ille affecerat Dominum aureo vitulo adolens thura. *Si quis eſt Domini, jungatur mihi*: Si quis ad Dominum pertinet; ſi quis jam in Dei partes conceſſit, jungatur mihi, Deo gloriam, quam illi tepor eripuit, redditurus. Qui ex vobis Chriſtianis fideliter Deo ſervit, quod magnus ille legislator Iſrael dicebat: *Si quis eſt Domini, jungatur mihi*, me ſequatur redditurus Deo gloriam, quam illis Fidelium tepor eripuit. Quid ergo, vobis dicendum eſt, propter Deum non erit nobis eadem fortitudo, quam miles habet pro Rege ſuo? Aulicus pluris faciet Principis gratiam, quam nos Dei noſtri amicitiam? Mundus, & dæmon zelotes ſervos habebunt, Salvator Mundi ſolus erit? Haud ita; non erit ſolus, noſque omni conatu adlaborabimus non ſolum, ut in æternum ex cordibus noſtris teporem ejiciamus; verum etiam injiciamus fervorem in Dei cultu in eos omnes, quos ex hoc languoris ſtatu removere poterimus. *P. la Peſſe.*

Exod. 32.

Senſus religioſi tepidi in hora mortis.

Quoſnam eſſe, par eſt, religioſæ animæ, Deoque devotæ ſenſus, quæ tamen ignavam, tepidamque duxit vitam, cum in æternæ ſortis diſcrimine poſitam ſecum reputat, quam imperfecte vixerit eo in ſtatu, qui adeo ſublimem requirebat perfectionem? Quid? opuſne erat, ut tanto cum tumore mundum relinquerem clauſtrum ingreſſura, ibique vitam ductura ſecundum mundi placita, ac me ipſam damnatura? Deus inſignem hanc mihi gratiam conceſſerat, ut ſtatim adeo perfectum amplecterer: quem inde fructum percepi? Omnia abjeceram, ipſam etiam voluntatem meam Deo in ſacrificium obtuleram: auſteræ vitæ ſtatum elegeram, idque ut pace obirem, ſanctorum morte expirans. Sed o me miſeram! Numquid bonam mortem fructum eſſe ſanctitatis vitæ ignorabam? Heu! quoties hoc aliis dixi? Cur ipſa non profeci ex eo, quod aliis toties iteravi? Quot ſine attentione Orationes? Quot communiones ſine fructu? Quot confeſſiones ſine emendatione, ſine pœnitentia, ſine vitæ mutatione? Quot gratiæ in irritum abiere? Quot bona opera nihil profuerunt eo quod recta illis deerat intentio? Heu! Domine, totne ſumptus erant erogandi, ut tanta fieret jactura? Quod fuerimus divulſi parentum chariſſimorum ſinu; eorum blanditiis, lacrymiſque illecti non fuerimus, quod maximos ſuperaverimus obices; hæc autem omnia, ut certam ſalutem noſtram faceremus; & eo quod levia exquiſivimus commoda, quod nugarum quarumdam amore illecti fuimus, vel ſaltem quia iis rebus adhæſimus, quibus adhærere in mundo nos puduiſſet: vitam duxerimus in Religione inertem, tepidam, & imperfectam. Heu! in ipſo mortis periculo adſtare, & his triſtiſſimis cogitationibus obrui, heu, quam horribilis terror! In quonam formali ſalutis ſuæ dubio hæc vita deſeritur! Magnæne conſolationis eſt ſibi tanto pretio mortem adeo triſtem comparaſſe? *P. Croiſet Tomo 2. ſuorum receſſuum.*

In quo magis officiat tepor.

Tepor incuria quædam eſt, quæ inter cætera illius mala hoc proprium habet, quod omnes pietatis exercitationes magis moleſtas efficit. Hæc nos agit, ut in rebus omnibus noſtram quæramus conſolationem; Hæc fidelem arcet ab iis omnibus, quæ ſunt maxime ad ſalutem neceſſaria; hæc quemdam immittit horrorem orationis, & meditationis æternarum veritatum, quia in nobis jugulat ſenſum, quem de illis fides nobis injicere conſuevit. Hoc in ſtatu, in quo nonnumquam verſamur, ac his acediæ momentis, omnia faſtidimus, omnia nobis nauſeam, tædiumque creant. Officia noſtra, quæ ſunt præ ceteris maxime neceſſaria, nos minime afficiunt. Si in hoc miſerrimo rerum ſtatu, ſeſe nobis obtuliſſet occaſio grave aliquod ſcelus patrandi; ita ne audaces eſſemus, ut eo temporis momento nos nequaquam peccaturos fuiſſe reſpondeamus? Tepor auget naturalem erga voluptates proclivitatem, necnon fugam eorum, quæ ſunt oppoſita. Detinet otioſa talenta, quæ ad majorem ſui nominis gloriam nobis contulit Deus; & patet, Evangelicum ſervum ob unum id fuiſſe damnatum, quod per motum, ac inertiam creditum ſibi talentum abſconderat. *P. la Peſſe Tomo 5.*

FESTI ET DOMINICI DIES.

Eorum Obſervantia &c.

M O N I T U M.

Theologi Scholaſtici, Caſuiſtæ, atque Catechiſtæ varie hoc argumentum pertractant, & ſinguli pro modulo ſuo: ſed Concionator, ut de eodem utiliter ſermonem inſtituat, loqui debet modo tamquam Theologus, ut populo tradat hujus præcepti originem, doceatque in quo præcipue conſiſtat; modo tamquam Caſuiſta, ut oſtendat quot modis præceptum hoc infringi conſueverit, & quid hac in re liceat, an ſecus; modo denique ut Catechiſta edocens, quænam his diebus pietati dicatis ſint veri Fidelis Officia.

Quamquam ſermo hic nihil habere videatur cum aliis moralibus argumentis commune, nonnulla tamen adſunt, quæ ab hoc omnino divelli non poſſunt; puta, ſacris intereſſe Myſteriis, Dei verbum audire, & ſanctis hiſce diebus opera bona exercere. Verum ſatis Concionator intelligit, ſe extra argumenti ſui fines evagaturum, ſi velit funditus hæc pertractare argumenta; quæ attingenda tantummodo ſunt, quatenus ad præcipuum referuntur, veluti totidem rationes ſatisfaciendi variis dierum ſacrorum obligationibus, quas indigitare tantummodo oportet.

Illud autem monendum cenſeo, quemadmodum ſancta Domini dies Judæorum Sabbatho, ac dies Feſti, quos colimus, illis, quæ in Lege veteri præcipiebantur fuerint ſubrogati: quæcumque a nobis dicentur de Sabbatho ejuſque obſervantia, de feſtis Dominiciſque diebus eſſe intelligendum; idem quippe nobis propoſitum præceptum eſt; eadem obligatio. Supplicia vero, quibus olim animadvertebat Deus in legis hujus fractores, ſi hodierna die infrequentiora ſunt, neque oculis accidunt; non ideo inferendum eſt, nos lenius hoc præcepto teneri; ſed ille a Deo in alteram vitam reſervari, & in hac ſuas gratias, ſpiritualeſque, & ſæpe etiam temporales benedictiones auferre ab illis, qui perperam tanto munere perfunguntur.

PA-

P A R A G R A P H U S P R I M U S.

Varia Concionum hujus argumenti Syſtemata.

I. CHriſtiani hominis vita eſſe deberet perpetua divini Nominis ſanctificatio: quemadmodum enim Patres loquuntur, de nobis non idem ſentiendum eſt, ac de Judæis: *Omne tempus, eſt tempus diei feſti, Chriſtianis*, Sanctus Chryſoſtomus inquit, ſi ſecundum vocationem noſtram vixerimus, atque ea munera, quæ nobis Baptiſmus impoſuit, ad unguem adimpleverimus. Sed cum procul abſimus ab hoc perfectionis gradu, quem magnus ille Doctor a populo exigebat; non ignoramus Dominum rationem habuiſſe noſtræ infirmitatis, & quoſdam ſibi delegiſſe dies, quos peculiari quadam ratione cultui, quem illi debemus, dicatos voluit. His autem diebus a nobis ea petit, a quibus abeſſe fas eſt diebus aliis, qui ejuſdem ſubeamus iracundiam. Neminem puto fidelem eſſe adeo ſuæ legis ignarum, qui veritatem hanc in dubium revocare velit: verum hic quieſcendum non eſt. Hoc potiſſimum agitur, ut præcepti hujus extenſionem, & perfectionem intelligamus; videlicet quid ſibi velit hunc ſanctificare diem; quod ut rite intelligatur, in priori orationis meæ parte varios aperiam fines, propter quos Deus, & Eccleſia hoc præceptum propoſuerunt, quod in lege nova æque ac in veteri irrogatum eſt; in altera vero quid præſtare teneamur Dominicis, aliiſque feſtis diebus, ut illud adimpleamus, quod nunc æque, ac olim Deo curæ eſt.

Pars Prior. Primum ſtatim ſuppoſito, quod Deus, & Eccleſia Fidelibus quoſdam propoſuerint dies ab illis ſanctificandos; ut eos intueamur fines, atque rationes, quas ſibi uterque propoſuit, ajo de diebus Dominicis, noſtriſque feſtivitatibus, habita ratione, idem ſentiendum eſſe ac de Judæorum ſabbathis, aliiſque eorum ſolemnitatibus; re enim vera hi dies in Lege veteri idem erant quod Dominici, feſtique alii in recenti: Moyſis enim Lex non aliud fuit, quam Legis Jeſu Chriſti quædam veluti umbra, & figura. Tres autem mihi videre videor præcipuos hujus mandati fines, ad quos alii facile referri poſſunt. Primus eſt, per hoc voluiſſe Deum, ut debitus ſibi a populo cultus adhiberetur; ita enim ipſe loquitur Deus: *Videte, ut Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos.* Meminiſſe vos oportet, meum eſſe populum, & me Deum eſſe veſtrum. Quippe Creatori veſtro, a vobis publicum, ſolemnemque cultum expetere jus eſt, & Domini auctoritate hoc vobis præcipere: itaque Sabbathi diem ſanctificabitis, illum mihi ex integro dicabitis, nihil tunc temporis a vobis fiet, quod ad cultum meum non pertineat. Primus hic finis ſublimem nobis adſtruere debet conceptum feſtivitatum noſtrarum, tamquam dierum, qui unice Deo dicati ſunt, unice deſtinati, ut debitus illi cultus adhibeatur. Itaque quibuſnam cæremoniis primum veteris Teſtamenti Sacerdotes; mox vero primi fideles hunc obſervabant diem? qua ſeveritate in eos animadvertebatur, qui apud Judæos Sabbathum temeraſſent? quanam devotione ſanctos illos dies primæva celebrabat Eccleſia? Finis alter, quem, hoc præcipiens ſibi propoſuit Deus, fuit, ut homines meminiſſe cogerentur beneficiorum, quibus divina largitas eos cumulaverat. Ideo populus Iſrael juſſus fuit celebrare Paſcha, ut memoriam inſtauraret exitus de Ægypto, non ſecus ac alias feſtivitates, ne aliorum beneficiorum recordatio intercideret. In nova autem lege Dies Dominicus memorialis eſt Dominicæ Reſurrectionis, & juris illius, quod ſumus adepti, aliquando & nos reſurgendi; ita in aliis etiam myſteriis ea beneficia recolimus, quæ nobis divina bonitas contulit &c. His ergo diebus cogitationes noſtræ iis ſunt impendendæ, quæ debemus Deo, ut conformibus ei fini, quo inſtituti fuere, ſenſibus imbuamur. Tertius denique finis, quem in hac inſtitutione ſibi propoſuit Eccleſia, fuit, ut quidam eſſent dies, quibus Dominus uberius ſuas gratias, & munera effunderet. *Innumeris benedictionibus Deus diem Dominicam ſanctificavit.* Profecto Mundi hujus creatio ea die cœpit, Manna Iſraelitis datum fuit, Arca ſuper Armeniæ montibus ſtetit, Erythræi maris aquæ diviſæ ſunt. In nova autem lege quot eadem die adimpleta fuere myſteria? Alibi illa enumeravimus. Igitur ſancto, & ſpirituali gaudio repleti hos dies celebrare debemus; quamobrem a Sancto Bernardo Dominicus dies appellatur, *Dies Remiſſionis, dies Exultationis, dies Jubilæi.* Eoſdem profecto fines habuit Eccleſia; cum enim a Spiritu Sancto regatur, fieri nequit, ut minime cogitet ſecundum mandata Dei; verum præter has rationes dies Dominicos, ac Feſtos inſtituit tamquam ſtatos dies, quibus filios ſuos de eorum officiis erudiret; quamobrem Sancti Patres his diebus populo Scripturas explicabant, & habebant homilias; atque hodierna etiam die Sermones habentur, & chriſtiana Inſtituta traduntur.

Eccli. 31.

Pars Altera. Hic eumdem, ac in parte priori ordinem ſequamur; re enim vera ex quolibet principio naturaliter haurienda eſt illatio, quæ nobis pro norma eſſe debet, & oſtendere, quæ diebus Dominicis, aliiſque Feſtivitatibus facienda ſunt. 1 Vult Deus, ut illis præcipue diebus eum tamquam Creatorem, Dominum, principium, finemque noſtrum colamus. Igitur ut ſecundum Domini mentem hi dies feſti celebrentur, opus eſt illum actibus eodem dignis venerari. Horum alii interni ſunt, videlicet devotio, amor, grati animi ſenſus: externi alii, quos inter præcipuus eſt Sacrificium; ideoque ſanctificationem hanc ad obligationem Miſſæ audiendæ redegit Eccleſia; non quod alios excludat actus, ſed quod unum hunc peccati pœna propoſita indicit. 2. Exigit a creatura ſua Deus, ut diebus hiſce ſibi dicatis, meminerit beneficiorum, quibus ab ipſo aucta fuit, eiſque unice vacet; quapropter opus eſt mentem, ab omni quacumque re diſtrahi poſſit, avellere, operibus ſervilibus abſtinere (quod quidem quam religioſe ſervarunt Judæi?) a voluptatibus, & actionibus, quæ in ſcelus impellere poſſunt, abhorrere; quamobrem Theologi nonnulli affirmare non dubitant, peccatum hiſce diebus patratum multo gravius eſſe, quam ſi alio quovis die fuiſſet commiſſum; temporalia relinquere negotia, quæ impedimento ſunt, ne hæc quietis dies chriſtiano corde celebretur, quod in Dei charitate conſiſtit. Si Deus hoc præcepto inſtituere voluit dies miſericordiarum, & gratiarum; ergo noſmet præparare debemus ad eas recipiendas, & miſericordiam hanc promerendam, atque illis præſertim diebus bonis operibus, ac pauperibus reficiendis vacare debemus. Videtur adfectaſſe Jeſus Chriſtus diebus hujuſmodi ægros curare, morbos depellere, miracula patrare; ut hoc inter noſtra officia non poſtremum eſſe intelligeremus &c. *Analyſes manuſcripti Sermonis P. Stephani Chamillart.*

Dominici, feſtique dies tribus præſertim nominibus in Scriptura appellantur, ex quibus tria intelligenda ſunt munera, quæ nobis indicit Eccleſia. II.

1. Sunt dies quietis; & præſertim Dominicus, qui Sabbatho Legis antiquæ ſucceſſit; oportet ergo hoc die non ſolum a conſueto labore ceſſare, verum etiam mentem a terrenis curis expedire, mundi rumores evitare, ſeſe colligere, & eas fugere ſodalitates, quæ nos poſſunt diſtrahere, atque ab officiis pietatis, quæ requiruntur ex nobis, avertere.

2. Sunt dies Sancti; hoc enim nomine vulgo appellantur, quod divino cultui dicati ſunt: debent igitur in piis, boniſque operibus impendi, non autem in ſolatiis, & comeſſationibus, &c. abſumi, quod plerique e mundo faciunt.

3. Dies ſunt, quos ſemper deſtinavit Eccleſia, Fidelibus erudiendis, uti conjicere eſt ex Homiliis, quæ a Sanctis Patribus diebus hiſce habebantur, nec non ex ſermonibus, & Evangelicæ Doctrinæ explicationibus, quæ hodierna quoque die habentur in Eccleſia: igitur illis intereſſe oportet; & qui hoc munus nequeunt adimplere, huic bonorum librorum lectione ſupplere tenentur.

1. Nihil enixius imperatum eſt, quam dierum Dominicorum, feſtorumque obſervantia; præceptum hoc explicite in lege veteri ſub Sabbathi nomine irrogatum videtur; quod ipſum in lege nova iteratum eſt, die tantum mutata: Eccleſia enim, quæ Dominicum deſtinavit diem, voluit hunc ab omnibus Fidelibus obſervari, immo ejuſdem obſervandi III.

ra-

BIBLIOTECA CENTRAL

rationem præſcripſit. Concilia generalia, & particularia praxim hanc conſtituerunt; & Fidelium primitivæ Eccleſiæ exempla liquido probant nihil religioſius, quam ſanctos hoſce dies fuiſſe obſervatos. Plures hujus rei rationes poſſunt afferri.

2. Illud vero Chriſtianorum noſtræ hujus ætatis relaxationem oſtendit, quod nihil hodie pejus obſervatur, nihil impunius violatur, nihil polluitur indignius, quam ſancti dies iſti Divino cultui dicati. 1. Propter mandati contemptum ſervilibus interdicentis operibus, & propter licentiam, quam ſibi vendicant homines laboribus, iiſque rebus vacandi, quæ palam prohibentur. 2. Propter abuſum, qui invectus eſt dies hos in profanis ſolatiis traducendi. 3. Propter effuſas in omni intemperantia libidines, quæ his diebus gravius, & frequentius, quam aliis patrantur.

IV. 1. Obligatio religioſe Dominicos, feſtoſque dies celebrandi de jure naturæ eſt, præcipientis, ut dies aliqua aſſignetur, qua Deo cultus, & honor adhibeatur; de jure poſitivo, hoc eſt explicitæ innititur legi, quam nobis irrogavit Deus; & de Eccleſiæ præcepto, quæ ex auctoritate ſibi a Deo tradita hoc imperavit. Latius oſtendi poteſt nullum eſſe præceptum, cujus obſervantia Deo fuerit antiquior, & quæ enixius commendata, ſæpiuſque iterata fuerit, & cujus violatio ſævioribus punita fuerit ſuppliciis.

2. Quomodo Chriſtianis munus hoc ſit explendum; quem cultum Deo præbere debeant, quæ illorum ſtudia, atque exercitia hiſce diebus; bona opera ab ipſis exercenda, & communes abuſus vitandi.

V. Punctum primum. Bona, quæ religioſe præceptum hoc obſervantibus cedunt. 1. Sanctis hiſce diebus reparari negligentia poteſt per totam hebdomadam in Dei cultu adhibita; novuſque fervor, novæque vires aſſumi, ut melius impoſterum eidem ſerviatur. 2. Hiſce Dominicis, feſtiſque diebus Religionis noſtræ officiis perfungimur; reliquis enim, ſi judicium ferendum eſt ex occupationibus noſtris, eaque ſollicitudine, qua terrena negotia procuramus, quanam ex re Chriſtifidelis dignoſci poteſt? 3. Hiſce præſertim diebus commodius reliqua omnia præcepta, pleraque Evangelica conſilia poſſumus exercere. Verbo: his proprie diebus vivere poſſumus tamquam perfecti Fideles.

Punctum alterum, Quod patretur malum violando præceptum, quo dies hoſce ſanctificare jubemur. 1. Non obeditur Deo, neque Eccleſiæ ea in re, quam etiam atque etiam uterque nobis commendant. Vide, quomodo hanc inobedientiam in lege veteri mulctaverit Deus. 2. Apertius noſtrum ingrati animi vitium teſtamur erga Dei beneficia: hos enim potiſſimum inſtituit dies, ut eorum, quæ nobis contulit bonorum, reminiſceremur. 3. Præter ſcandalum, quod præbetur, plurima omiſſionis peccata patrantur, negligendo præceptum, quod nobis aperit viam aliis ſatisfaciendi.

VI. 1. Temporalia bona nullam jacturam pati quod feſtos dies in pietatem, & cultum Dei tranſmittimus; e contra vero ita nos bonis, atque temporalibus negotiis cœleſtes benedictiones promereri.

2. Noſmet privamus ſpirituali fructu, quem ex ſanctis hiſce diebus poſſemus percipere, cum eos celebraturi externum tantummodo corporis apparatum afferimus; ditioribus tegimur indumentis, tempus in otio, conviviis, ſolatiis, profaniſque recreationibus inſumimus.

VII. Tria prohibent, ne Fideles, uti opus eſt, dies Dominicos, feſtoſque ſanctificent; videlicet avaritia, effrenata licentia, & otium.

1. Avaritia, quod plerique vel paupertatem prætexentes, vel eam metuentes putant ſibi licere 'aboribus exerceri.

2. Licentia, quod alii quidem laborem ſuum relinquunt, ſed hos dies tamquam ſolatiis dicatos reſpiciunt.

3. Otium, quod alii ſibi perſuadent ſatis eſſe ab opere ceſſare, quin bonis operibus exerceantur. *Deſumptum ex ſermonibus Moralibus.*

VIII. Sanctificatio dierum Dominicorum duo officia complectitur: Alterum, colere adorabilia Dei opera, & actiones admirabiles Jeſu Chriſti bonorum operum exercitatione: Alterum eorum quieti honorem deferre ceſſatione ab omni opere ſervili. In his duobus dierum feſtorum, Dominicorumque ſanctificatio conſiſtit. Hæc autem officia duo immutantur, & corrumpuntur; alterum quidem otio criminoſo; alterum vero actionibus profanis, ludis, ſpectaculis &c. *De la Font.*

Dominici, feſtique dies conſiderari poſſunt, primum quatenus ad Deum, deinde quatenus ad Fideles referuntur. IX.

1. Quatenus ad Deum, ſunt dies gratiæ, miſericordiæ, & benedictionum.

2. Quatenus ad Fideles ſunt dies pietatis, devotionis, bonorum operum; ſunt enim omnino ſanctis hiſce exercitiis dicati. *Ex libro cui titulus, Eſſais des Sermons Tomo 2. Quadrageſimæ.*

1. Si Dominici, feſtique dies requiem Domini memorant, eos ſanctificare debemus noſmet colligentes, ut reparemus frequentes mentis evagationes, quibus aliis diebus diſſipamur. X.

2. Si Dominici, feſtique dies ſigna ſunt fœderis, quod nobiſcum inire voluit Deus, eos ſancte debemus tranſigere, cultui ejuſdem unice vacantes, ut ſuppleamus defectui bonorum operum, quæ reliquis diebus negligimus. *Ibidem. Sermone pro Dominica poſt Pentecoſten 16.*

Cum dies feſti, ac Dominici Sabbatho, aliiſque veteris Teſtamenti feſtivitatibus ſucceſſerint, & hodie quoque, quod olim, ſint dies noſtri fœderis cum Deo: XI.

1. Debemus ideo his diebus fidelius legem adimplere;

2. Majori cum fervore pietatem profiteri;

3. Et perfectius noſtrummetipſorum offerre ſacrificium.

Ex Scripturis innoteſcit triplicem ob cauſam a Deo Sabbathi diem fuiſſe inſtitutum, quibus cauſis noſmet conformare debemus in dierum feſtorum celebratione. XII.

1. Hos ſibi reſervavit dies, ut hominum cultum reciperet, quatenus temporum Dominus, & Creator Univerſorum.

2. Ut populus gratum illi teſtaretur animum ob inſignia beneficia, quibus ab eo fuerat cumulatus.

3. Ut populum ſuum ab aliis nationibus diſtingueret, ideoque religioſa ſanctorum dierum obſervantia veri fideles ſeſe ab aliis diſtinguere debet.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras ornandas.

Sancti Patres. ORigenes *Hom. 13. in Num.* loquitur de rationibus rite celebrandi Sabbatha Chriſtianorum, hoc eſt Dominicos dies.

Sanctus Chryſoſtomus, *Hom. 10. in Geneſ.* rationem reddit, cur Deus benedixit, & ſanctificavit diem Sabbathi.

Idem, *Serm. de S. Philem.* docet in celebratione Feſtorum, ſpiritus pietatem magis requiri, quam externam pompam, & apparatum.

Idem, *Hom. 5. in Reſurrect.* loquitur de die Dominico, & myſteriis a Deo eo die patratis.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 6. loquitur de modo feſtivitatum celebrandarum.

Sanctus Juſtinus, *Apol. 2. ad Antonin.* deſcribit, quid primi fideles Dominicis diebus facere conſueverant.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, *Homil. 29. de Paſch.* loquitur de feſtorum celebrandorum ratione.

Nicetas, Orat. 38. oſtendit a feſtorum dierum celebritate ludos, luxus, ac libidines eſſe proſcribendas.

Sanctus Hieronymus, *lib. 16. in cap. 58. Iſaiæ*, docet Dominicis, feſtiſque diebus ſpiritualiter ea nobis eſſe obſervanda, quæ die Sabbathi ſecundum litteram a Judæis obſervabantur.

Idem, *lib. 13. in c. 44. Ezech.* hæc explicans verba, *& Sabbatha mea ſanctificabunt*, docet quomodo a Chriſtianis Sabbathum ſit obſervandum.

Sanctus Auguſtinus, *Serm. 26. de Sanctis*, tradit modum Sanctorum Martyrum memoriam recolendi.

Idem, *Serm. 231. de Tempore*, docet quomodo dies Dominici, ac Feſti ſint tranſigendi.

Idem, *contra Adimant. cap.* 16. oſtendit quomodo Judæi diem Sabbathi obſervabant, ſed hunc aliter a Fidelibus eſſe obſervandum.

Idem, *Tract. 122. in Joan.* de ſeptimi diei ſanctificatione verba facit, ejuſque rationem adfert.

Idem de hoc fuſius etiam loquitur, *lib. 4. de Geneſi ad Litteram.*

Idem, *Serm. 251. de Tempore*, rationem reddit, cur voluerint Apoſtoli, ut pro Sabbatho dies Dominicus coleretur, & cur dies Domini appellatur.

Idem, *Serm. 136. de Tempore*, texit elogium diei Dominicæ, ejuſque ſupra reliquos dies prærogativas oſtendit.

Idem, *lib. 4. de Geneſ. cap.* 11. oſtendit Sabbathi diem Judæis datum fuiſſe in Reſurrectionis Domini, ejuſque æternæ quietis figuram.

Idem, *Tract. 3. in Joan.* loquitur de abuſibus, qui Sabbatho committebantur, deque iis, quos Chriſtiani Dominicis, Feſtiſque diebus committunt.

Idem, *lib. 22. de Civit. cap.* 30. loquitur de æterna requie, qua in cœlo fruemur, cujus figura eſt dies Sabbathi.

Sanctus Leo, *Serm. 3. de Quadrag.* invehitur contra luxum alioſque abuſus, qui in dierum feſtorum celebratione irrepſerunt.

Idem, *Epiſt. 82. ad Dioſcorum*, recenſet myſteria, atque miracula, quæ operatus eſt Deus die Dominico; quapropter diem hunc cum reverentia celebrare tenemur.

Sanctus Iſidorus, *lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 24. &* 35. rationem reddit, cur Apoſtolorum, atque Martyrum feſtivitates celebrentur.

Sanctus Petrus Damianus, *lib. 4. Epiſt.* 16. docet, in quo feſtorum dierum celebritas conſiſtere debeat.

Rupertus Abbas, *lib. 2. in Nahum*, docet quomodo feſti dies ſint celebrandi.

Sanctus Bernardinus, *Tom. 2. Serm.* 10. loquitur de abuſibus, qui in dierum Feſtorum celebrationem irrepſerunt.

Aſcetici aliique. Synodi Tridentinæ Catechiſmus de tertio Dei præcepto verba faciens, & Catechiſtæ omnes, qui de decem mandatis loquuntur.

Sancti Caroli Borromæi *Edictum in Act. Mediolan. part.* 3.

Joannes Lopes *in Epit. Sanct. Patrum, l. 3. c.* 2.

Bellarminus, *Tomo 1. l. 3. contr. 6. c.* 10.

Franciſcus Suares, *de virt. Relig. l. 2. Tract.* 2. agit de feſtorum celebratione.

Sylveſter *in Summa de die Dominica.*

Raynerius de Piſis *in Pantheologia. Titul. de Feſtis.*

Lobetius, *Tomo 3. quæſt. morali, velut prœmiali*, oſtendit quinam ſit finis inſtitutionis dierum feſtorum, & quinam fructus inde percipi valeat.

P. Thomaſſinus Tractatum edidit, qui ingenti volumine continetur, de Eccleſiæ feſtivitatibus, & initio libri ſecundi loquitur de Dominicis.

Hortus Paſtorum, *Tractatu 3. lect. 8. de tertio Præcepto.*

Concionatores. P. Le Jeune, Oratorii Presbyter, *Tom. 2. Serm.* 48. loquitur de dierum Dominicorum obſervantia.

Idem, *Tom. 8. Serm.* 17. de feſtis Sanctorum verba facit.

La Font, Dominica 16. poſt Pentecoſten Sermonem habet hujus argumenti.

Liber, cui titulus, *Eſſais de Sermons* pro Quadrageſima Tomo 2. propoſitione ſecunda pro Dominica Paſſionis de Feſtorum, Dominicorumque dierum obſervantia pertractat.

Alter etiam ejuſdem argumenti ſermo eſt in tomo 4. Dominicæ Sermone pro Dominica poſt Epiphaniam.

Unus quoque inter Sermones morales invenitur.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta hujus oblitus non eſt in primo particularium Argumentorum Tomo, Sermone quinto.

Stapleton, *Domin. 16. poſt Pent. num.* 4.

Qui collectanea ediderunt. Lohner, *Tom. 3. tit. Cultus Sanctorum, & Feſta.*

Peraldus, *Tom. 2. tit. de Superbia*, quinque habet hujus argumenti capita.

Summa Prædicantium. ⎫
Labatha ⎭ Tit. *Feſta.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum applicationes huic argumento.

R*Equies Sabbathi ſanctificata eſt Domino.* Exodi 16.

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. Ibidem, cap. 20.

Benedixit Dominus diei Sabbathi. Ibid.

Videte ut Sabbathum meum cuſtodiatis; quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris. Ibid. cap. 31.

Cuſtodite Sabbathum meum: ſanctum eſt enim vobis. Qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. Ibidem.

Cuſtodiant filii Iſrael Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Ibid.

Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſrael, ſignumque perpetuum. Ibid.

Septimus dies erit vobis ſanctus, Sabbathum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur. Ibid. cap. 35.

Obſerva diem Sabbathi, ut ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Deut. cap. 5.

Quæ eſt hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbathi? Lib. 2. Eſdræ, cap. 13.

Neomeniam, & Sabbathum, & Feſtivitates alias non feram; iniqui ſunt cœtus veſtri; facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens. Iſaiæ cap. 1.

Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum. Geneſ. 2.

Sex diebus colligite manna: in die autem ſeptimo Sabbathum eſt Domini; idcirco non invenietur. Exodi 16.

Dies ſeptimus celeberrimus, & ſanctus erit vobis; omne opus ſervile non facietis in eo. Num. 28.

Nolite portare pondera in die Sabbathi, & nolite ejicere onera de domibus veſtris in die Sabbathi, & omne opus non facietis. Jerem. cap. 17.

Cuſtodite Sabbatha mea; & dabo vos pluvias temporibus ſuis; & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Levit. 26.

Memento quod ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti; idcirco præcepit tibi ut obſervares diem Sabbathi. Deuter. 5.

Sabbatha ejus in opprobrium, & dies feſti ejus in luctum converſi ſunt. 1. Machab. cap. 1.

Beatus vir cuſtodiens Sabbathum ne polluat illud; cuſtodiens manus ſuas ne faciat omne malum. Iſaiæ 56.

Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Iſaiæ 1.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

NEceſſum eſſe non arbitror huc afferre, vel inſtitutionem Sabbathi legis antiquæ, vel finem propter quem dies illa inſtituta fuerit, vel quantum cordi Deo fuerit ejus obſervantia; hæc enim omnia ſatis communia ſunt. Verum operæ pretium eſt ſcire præter hujus diei ſanctificationem alios plures fuiſſe dies feſtos, atque ſolemnitates lege populo Judaico irrogatas, inter quas tres erant præcipuæ, quæ majori cum apparatu celebrabantur, ad recolendam inſignium beneficiorum memoriam, quæ populus a Deo illis diebus receperat. Primum erat Paſcha, quod Dei nomine Moyſes inſtituerat poſt Iſraelitas Pharaonis ſervitute liberatos ex Ægypti ſervitute ereptos, & ſicco pede per Erythræi maris fluctus traductos. Alterum erat feſtum Pentecoſtes, quod quinquageſimo poſt Paſcha celebrabatur die in memoriam legis ea die per Moyſem latæ, qui eamdem a Domino acceperat. Tertium vero, quod appellabatur feſtum Tabernaculorum, vel *Scenopegia*, & quod per octiduum celebrabatur, ad fovendam memoriam divinæ providentiæ, & charitatis, qua Deus aluerat in Deſerto Iſraelitas nullas habentes domos, ſed ſub tabernaculis habitantes. Auctores quidam operam collocarunt, ut juſtum invenirent nexum inter dies feſtos, qui hodie a Fidelibus celebrantur, & eos quos populo ſuo præceperat Deus; verum ſatis eſſe debet, ſcire Dominicum diem Sabbatho ſubſtitutum fuiſſe pluribus, iiſque juſtis de cauſis, & generatim præcipua fidei noſtræ myſteria locum obtinere dierum aliorum, qui tanta cum ſolemnitate a Judæis colebantur. De feſtis quæ a Judæis celebrabantur.

De rigore, cum quo dies Sabbathi obſervabatur, judicium ferri poteſt ex facto, quod decimo quinto Numerorum capite refertur, hominis, qui plane pauper fuiſſe videtur, & qui quod Sabbatho collegiſſet ligna, Dei juſſu interfectus eſt. Moyſes, & Aaron illum in vincula conjecerant, neque putabant ob adeo leve facinus, eſſe morte plectendum; ſed volens Deus populo religioſum ſuæ potentiæ metum injicere, ac oſtendere, quanam reverentia leges ſuæ colendæ ſint, terribili juſtitiæ ſuæ exemplo præcepit, ut ab omni populo lapidibus obrueretur. Quonam cum rigore Sabbathi dies obſervaretur.

BIBLIOTECA CENTRAL

retur. *Morte moriatur . . . . obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.*

Mathathiæ exemplum.

Dies Sabbathi ſemper religioſe a Judæis fuit obſervata, ita ut ſæpe ſuperſtitio quoque intercederet; immo nonnumquam præceptum hoc ita obſervarunt, ut eo die ab hoſtibus laceſſiti ſeipſos tueri noluerint, ac ſe internecione deleri, quam arma attrectare, maluerint. Hoc plane teſtatur id, quod primo Machabæorum libro narratur de magna Judæorum manu, quæ duce Mathathia potiuſquam Sabbathi legem infringeret propulſans hoſtes, qui hunc diem ad eos prælio laceſſendos elegerant, maluit trucidari: *Dicentes, moriamur omnes in ſimplicitate noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum, & terra.* Et in iiſdem Sacris litteris legimus, alios non paucos Judæos cum in cavernas ſeſe recepiſſent, Sabbatho ibi ignibus fuiſſe combuſtos, quia noluerunt flammas extinguere, ac ſe præſenti periculo liberare. Admiranda profecto exempla potius, quam imitanda; ſed talia ſane, ut ruborem injicere poſſint plerisque Fidelium, qui ſordido labore dies longe ſanctiores, quam tunc Sabbathum eſſet, polluere non dubitant.

1. Mach. cap. 2.

2. Mach. cap. 6.

Judæorum hac in re ſuperſtitio.

In novo Teſtamento circa Sabbathi, aliorumque feſtorum dierum obſervantiam nihil notandum occurrit præter Judæorum ſuperſtitiones, qui ne illud violarent, ſæpe charitatis opera omittebant, & perperam ſcandalizabantur, eo quod die illa Salvator ægros curaret. Sæpe etiam ſibi religioni vertebant ea facere, quę nullo erant in diſcrimine, nequiſſima vero ſcelera committere non verebantur: Veluti cum Pilati Prætorium ingredi noluerunt, ne cum Gentilibus communicatione pollurerentur, neque putarunt ſibi nefas eſſe perſequi mortem Filii Dei propter odium, quo in illum erant ſuccenſi.

Dei Filius religioſe obſervabat dies feſtos, qui in lege præcipiebantur.

Dei Filius, qui profeſſus fuerat, ſe veniſſe non ut legem infringeret, ſed ut illam adimpleret; qualibet in occaſione præclarum præbuit exemplum exactæ obſervantię feſtorum dierum, quos illa ſtatuerat; intererat quippe cæremoniis, quę ibi fiebant, eas pręſentia ſua probaturus. Verum ut Judæis illas auferret ſuperſtitiones, quas invexerant, ægros ea die curare affectabat; cumque inde Scribæ, & Phariſæi ſcandali occaſionem arriperent, docebat tantum abeſſe, ut Sabbathi requies charitatis actibus violaretur, quod immo potiſſimum dies feſti celebrabantur; non enim major Deo cultus poterat deferri.

Beatiſſimæ Virginis, & S. Joſephi hac in re obedientia.

Beatiſſima Virgo, Sanctuſque Joſeph religioſe Paſcha, alioſque Legis feſtos dies coluerunt, quod conjicere eſt ex eo, quod narratur in Evangelio, ipſos videlicet remanſiſſe in Jeruſalem ſeptem eos dies, quibus Paſchatis ſolemnitas agebatur; quibus elapſis cum domum reverterentur, puerum Jeſum in urbe manſiſſe, quin illi cognoſcerent; quod evidens eſt teſtimonium diligentiæ, qua legi obtemperabant.

Salvatoris vero circumciſio, Sanctęque ejuſdem Genitricis Purificatio, palam oſtendunt ipſos reliquis etiam cęremoniis legis fideliter paruiſſe.

Applicationes.

Cur Deus præceptum hoc magis, quam reliqua commendaverit.

MEmento, ut diem Sabbathi ſanctifices. **Exodi** 20. Nonnulli Sancti Patres, atque Interpretes notarunt, Sabbathi ſanctificationem illud eſſe ex omnibus legis pręceptis, quod enixius Deus commendaverit, & unicum, cui hoc verbum adjecerit, *Memento.* 1. Verbum iſtud huic præcepto pręfigitur, ut intelligamus cultum, qui hac die nobis imperatur, partem eſſe cultus exterioris Religionis, quem debemus Deo; qua de re nos admonendi eramus, quamvis enim lex naturalis nos doceat, deſtinandum eſſe ſtatum aliquod tempus, quo Deus exteriori Religionis cultu adoretur, nihilominus nobis nequaquam tempus illud pręſcribi, quo iſtud faciendum eſt. 2. Hoc admonemur verbo; ut nobiſmet caveamus, quod plures ſeſe nobis offerent occaſiones pręcepti hujus obliviſcendi; ſeu nos ad illius violationem inducat exemplum eorum, qui negligunt illud, vel amor ſpectaculorum, ludorumque, qui vulgo nos a ſancto, & religioſo hujus diei cultu divellunt.

Deus homini, & laborem, & requiem indixit.

Requies Sabbathi ſanctificata eſt Domino. **Exodi 16.** Mirum! Deus hominem labori ſubjecerat, ut peccati ſui pondus ſentiret; & vult ab hoc labore ceſſare, ut primam acquirat innocentiam. Illum iratus damnaverat terræ ſummis laboribus excolendę, ut intelligeret quam periculoſum ſit Supremi Domini obedientiam detrectare; mox vero miſericordię ſuę effectu præcipit, ut poſt ſex dies in profeſſionis ſuæ exercitatione traductos, ſeptimo tandem quieſcat.

Manna Iſraelitis die Dominico data fuit. Quæ ſit hujus figuræ veritas.

Scriptura ipſa notare voluit, manna ſex diebus pluiſſe, ſeptima vero ceſſaſſe; hęc enim dies quietis erat, nempe Sabbathum. Manna ergo die Dominico cœpit decidere, quod figura erat, cœli gratiam, verbumque Dei aliquando Eccleſiæ die Dominico diſtributum iri, & hoc Synagogæ ablatum iri. Hoc animadvertit Origenes, *Homil. 7. in Exod.*

Quomodo dies feſti celebrandi ſunt quin in eos abuſus, qui committuntur.

Non aſcendam ad diem feſtum &c. Joan. 7. Horum verborum Filii Dei cum facto ejuſdem, quod illis adverſari videtur, conciliatio crucem Interpretibus figit. Cum Salvator eſſet in Galilęa illis, a quibus urgebatur, ut ad Feſtum Tabernaculorum ſolemniter Jeroſolymę celebrandum proficiſceretur, reſpondit: *Non aſcendam ad diem feſtum iſtum.* Ite vos, inquit ille, ad hanc ſolemnitatem, ego vero huic non interero. Cum autem narret Evangelium, poſtquam alii diſceſſerunt illuc profecturi, & ipſum quoque eo iter ſuſcepiſſe; non quidem palam, ſed veluti metuentem, ne videretur; Sanctus Bernardinus in ſermone quodam difficultatem ſolvit per illam reſponſionis voculam, quæ Domini factum probare videtur: *Ad diem feſtum iſtum.* Non aſcendam ad diem feſtum ex inſtituto ſacrum, ſed iis pollutum abuſibus, quod invexiſtis, ſceleribus, atque criminibus, quæ ibi patrantur. Itaque non adfuit ille huic feſto polluto, ſed adfuit, ut illum ſancte celebraret, & iis ſenſibus, qui non abhorrerent a mente Dei ejuſdem Auctoris; quod ipſe clam fecit, & quin ab aliis videretur.

Quomodo exemplo Jeroboam dies divino cultui dicati profanantur.

Excogitato conſilio, fecit Jeroboam duos vitulos aureos, & dixit: Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dei tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 3. Reg. cap. 12. Salomon, quod nemo unus ignorat, Jeroſolymæ magnificum ædificaverat templum, ut omnes veri Dei adoratores ex omnibus regionibus illuc confluerent, Domino cultum præſtituri feſtis diebus, qui in Lege Moyſi præcipiebantur: itaut cum ſolemnitates illæ celebrarentur, admirabilis fieret populorum concurſus. Sed poſt hujus Regis obitum, cum ejus imperium diviſum fuiſſet, Jeroboam conclamatus fuit Rex decem tribuum, quæ divulſæ fuerunt a ditione Roboam filii, ac ſucceſſoris Salomonis. Quid porro Jeroboam conatus eſt, ut ſibi abhuc nutantem coronam propriam faceret, atque ut populum in officio contineret? Hæc illi mens incidit, ut altare contra altare ſtatueret, ac ſibi duo idola conflaret, eaque duabus in urbibus collocaret, ſubditoſque cogeretur iiſdem thus adolerent; veritus, ne ſi Jeroſolymam pergerent vero Deo cultum adhibituri, cupiditas aliquando illis oboriretur ſub Regis Juda ditionem redeundi. Hæc elegans eſt eorum figura, quæ hodierna die eveniunt feſtis diebus Dei cultui, ac pietati Chriſtianorum fovendæ dicatis. Donec Fideles Templum adeunt officiis ſuis defuncturi, ac Domino cultum adhibituri, dæmon, qui veri Dei imperium partiri conatur, ludorum, libidinumque Academias erigit, ut illos divertat, & Domini cultum prohibeat. Efficit, ut voluptates tantummodo cogitentur, ut voluptatis, & vanitatis idolo litetur, atque ita devotionis, ac pietatis feſta in libidinum, ſolatiorumque feſta immutentur.

Quam diſpliceat Deo ſanctarum dierum profanatio.

Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Iſaiæ 1. Jure quiſpiam fortaſſe miraretur Deum, qui populo ſuo præceperat, ut diem Sabbathi ſanctificaret, alioſque feſtos dies tanta cum ſolemnitate celebraret; eidem mox per Prophetam ſuum ſignificaſſe, ſe eorum calendas, aliaſque feſtivitates odiſſe. Sed facilis patet reſponſio; cum hæc feſta in honorem ipſius celebrata fuerunt, atque illius tantummodo cultus, & gloria quæſita fuit, hæc quidem illi fuiſſe acceptiſſima, eiſque ſuas benedictiones, & gratias conceſſiſſe; ſed cum idem populus inde occaſionem arripuit eum dedecore afficiendi ſacrilegis profanationibus, tunc ea perhorruiſſe, ac abominatum fuiſſe. Hodie de feſtivitatibus noſtris dici poteſt; in ſe illas quidem ſanctas eſſe, & ad optimos fines inſtitutas: Verum quemadmodum corruptio optimi peſſima; nibil abominabilius fingi poteſt ea profanatione, quæ ſanctis his diebus fieri conſuevit.

PA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc Argumento.

DOminica dies, regina & princeps omnium dierum. Sanctus Ignatius Martyr. Epiſt. ad Magneſianos.

Dominico die, a terreno labore ceſſandum, & precibus inſiſtendum eſt; ut ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ, precibus expietur. Greg. l. 11. Epiſt. 3.

Diei Dominicæ tanta debet eſſe obſervantia, ut præter orationes, & Miſſarum ſolemnia, nihil aliud fiat. Sext. Concil. Oecumenicum.

Ut in his diebus, ab omni negotio ſequeſtrati, ſoli divino cultui vacemus. Auguſt. Serm. 250. de Temp.

Præponitur Sabbatho dies Dominicus, fide Reſurrectionis. Idem, Epiſt. 18. ad Caſulanum.

Domini Reſurrectio promiſit nobis æternum diem, & conſecravit nobis Dominicum diem, qui vocatur Dominicus; nam ipſe videtur proprie ad Dominum pertinere, quia eo die Dominus reſurrexit. Idem, Serm. 15. de verb. Apoſt.

Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, ad excitandam imitationem, ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur. Idem, contra Fauſtum, c. 21.

Solemnitates Martyrum exhortationes ſunt martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Idem, Serm. 47. de Sanctis.

Melius tota die foderent, quam tota die ſaltarent, in feſtis. Idem in Pſal. 32.

Male celebrat Sabbathum, qui a bonis operibus vacat; otium autem ab iniquitate debet eſſe perpetuum. Idem, lib. de vera innoc. c. 114.

Verum Sabbathum Chriſtianus obſervat, abſtinens ſe ab opere ſervili; id eſt a peccato. Ibid. cap. 321.

Nihil ſollicitius providendum eſt, quam ut ſolemnem diem, non tam ciborum abundantia, quam ſpiritus exultatione celebremus. Hieron. in Epiſt.

Quod Sabbathum, non otii, ſed ſpiritualis actionis materia ſit, dilucidum eſt ex ipſis rebus. Chryſoſt. Serm. 1. de Lazaro.

Martyrum feſta, non ex dierum circuitu ſolum, ſed etiam ex eorum animo qui ea celebrant, æſtimantur. Idem.

Feſta, non multitudo concurrentium facere ſolet, ſed virtus; non ſumptuoſus veſtitus, ſed pietatis ornatus: non menſæ dapſilitas, ſed cura animæ; maximum enim feſtum eſt conſcientia bona. Idem, Homil. 3. de Sancta Anna.

Conſecratum eſt Deo Sabbathum, ut qui non omnem vitam Deo conſecrabant, ſaltem exiguam illius partem Domino velut ingrati famuli largirentur. Joan. Damaſc. l. 4. de fide, c. 21.

Ille Sabbathum Domini veraciter celebrat, qui ſic ab his quæ mundi ſunt, operibus vacat, ut a ſpiritualibus tamen actibus non quieſcat. Petr. Damiani, lib. 4. Epiſt. 16.

Diem Dominicam, ob venerabilem Reſurrectionem Chriſti, non ſolum in Paſcha, celebramus; verum etiam per ſingulas hebdomadas, imaginem ipſius Dei frequentamus. Innocen. Pap. Epiſt. 1. ad Decent. cap. 4.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi poſſit.

Quid ſit Dominicus dies, a quo, & cur inſtitutus.

DOminicus dies primus eſt in hebdomada divino cultui dicandus. Judæi ſeptimum celebrabant diem in memoriam creationis mundi; Deus enim poſtquam illum creaſſet diebus ſex, ſeptimo quievit; nos vero primum celebramus ex Apoſtolorum inſtitutione, qui hoc præceperunt, quia dies hæc nobis eamdem repræſentat creationem, quæ die eadem ſumpſit initium, & hæc alia plurima Chriſtianæ Religionis myſteria ſignificat, quæ die eadem fuere adimpleta, præſertim vero Jeſu Chriſti Nativitatem, ejuſque Reſurrectionem, deſcenſus Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos; ex quibus myſteriis ſalutis noſtræ pendet complementum.

De feſtorum dierum inſtitutione.

Quemadmodum Apoſtoli naturæ, ac divino juri innixi Dominicum conſtituere diem, ut divinæ Majeſtati, ejuſque numini cultus haberetur, eique agerentur gratiæ, beneficiorum, quæ divina bonitas large effuſeque in mortales effundit: iidem etiam Apoſtoli aliquot ex noſtris feſtivitatibus inſtituerunt in memoriam nonnullorum inſigniorum fidei noſtrę myſteriorum, alias vero præcepit Eccleſia, quippe quæ hanc a Filio Dei poteſtatem obtinuit, eumque in hac inſtitutione ſibi finem propoſuit, ut Deum in Sanctis ſuis glorificare, & tamquam illius amicos, fideleſque ſervos veneraretur; & ut in omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus ad eorum interceſſionem nobis pateret perfugium. Quodcumque autem intercedere poſſit diſcrimen inter diei Dominicæ, aliorumque feſtorum dierum ſeu veterum, ſeu novorum inſtitutionem; omnes hi ſancti dies eodem a nobis pacto colendi ſunt, quod nobis eadem præſcribit Eccleſia; ideoque omnes uno comprehendit mandato, quod ſine crimine infringi non poteſt. Itaque quidquid de diebus Dominicis a nobis dicetur, eaſdem ob cauſas de aliis quoque feſtivitatibus eſt intelligendum.

Diſcrimen inter præceptum Dominicos dies, aliaque præcepta ſervandi.

Hoc intercedit diſcrimen inter iſtud, aliaque legis præcepta, quod cætera omnibus ex partibus ſuis ſunt naturalia, ideoque perpetua, quin ulla quapiam in re poſſint mutari; hoc vero quoad temporis in Dei honorem adhibendi determinationem eſt cæremoniale. Et profecto naturæ lege docemur quidem peculiarem aliquem diem divino cultui eſſe dicandum, & hunc apud omnes populos morem percrebuiſſe innoteſcit: ſed quodnam hoc eſſe tempus debeat, utrum Dominicus potius ſit dies, an Sabbathum, hoc minime traditur; & pendet a Dei, vel Eccleſiæ inſtitutione tamquam aliquid ad morum pertinens diſciplinam. Quapropter Apoſtoli cultui Dei primum ex ſeptem hebdomadæ diebus conſecrarunt, eumque diem Domini nuncuparunt. De hac die loquitur in Apocalypſi Sanctus Joannes; & S. Paulus Apoſtolus jubet, eleemoſynarum a fidelibus oblatarum collectas fieri prima die hebdomadæ, quæ Dominica eſt, quemadmodum Sanctus Chryſoſtomus interpretatur: unde liquet Apoſtolorum ævo diem hanc in Eccleſia habitam fuiſſe, veluti ſanctam, & divinæ majeſtatis cultui dicatam.

Quænam in re conſiſtat Dominici dei, aliorumque feſtorum ſanctificatio.

Sabbathum ſanctificare (hoc ipſum de die Dominico a nobis dicendum eſt) ſecundum Scripturarum ſermonem ſignificat, ab omni corporis labore abſtinere, & ab omnibus terrenis negotiis ceſſare, quemadmodum ſequentia hujus mandati verba palam oſtendunt. *Nihil operis facies in eo.* Non ſolum autem hæc ſanctificatio iſtam ab omni opere ceſſationem importat; alioquin enim ſatis fuiſſet dicere in Deuteronomio: *Obſerva diem Sabbathi,* ſed cum ibidem addatur, *ut ſanctifices eum;* hoc ſane oſtendit diem hunc ſanctum eſſe, & Religioni ſacrum, ideoque in Dei cultu, ac pietatis exercitiis impendendum. Ita vere diem Sabbathi obſervamus, atque ſanctificamus, cum Deo ea religionis, & pietatis præſtamus officia, quæ tenemur. Hac de cauſa Iſaias Sabbathum diem lætitiæ vocat; re enim vera dies feſti piorum hominum deliciæ ſunt.

Opera his diebus prohibita, & ſecus.

Servilia opera intelligimus ea, quorum finis merus eſt particulare, & temporale lucrum, & hæc proprie prohibentur. Unde ſequitur ea. 1. Quorum Religio finis eſt, veluti ornare templa, aras decorare, lege hac non prohiberi; 2. Quæ neceſſaria ſunt ad vitam vel ſuam, vel proximorum tuendam, vel etiam ad Rempublicam defendendam, veluti communes hoſtes propulſare; his non eſſe interdictum; 3. Spiritualia, veluti ſtudere, libros componere, dummodo actiones iſtæ in ſe malæ non ſint, neque lucrum potiſſimus ſit finis eorum, & hæc interdicto non eſſe obnoxia; 4. denique ea, quæ neceſſaria ſunt ad jacturam, vel grave incommodum evitandum, puta, meſſem coacervare, ne tempeſtatis inclementia corrumpatur, aliaque id genus, non eſſe illicita; quia licet actionibus hujuſmodi aliquis temporalis immiſceatur utilitas; hæc tamen non eſt tamquam primus finis propoſita, & opera illa pro ſervilibus non habentur. Fidelium tamen conſuetudo eſt, ubi ſimiles adſint caſus, ad Eccleſiaſticos Superiores pro diſpenſatione confugere.

Quid facere teneamur vi præcepti dierum feſtorum obſervantiam imperantis.

Notandum eſt horum dierum ſanctificationem duobus præceptis Divino altero, altero Eccleſiaſtico inniti. Abſtinere ab opere ſervili, & ſacris intereſſe Myſteriis hoc præcepto omnino jubemur. Sed præterea mandatum Dei non præcipit ſolum, ut ab operibus ſervilibus abſtineamus, verum etiam ut Dei cultui vacemus, ideoque ab iis omnibus abhorreamus, quæ ab eo nos poſſunt amovere. Ita-

BIBLIOTECA CENTRAL

que ad dies Dominicos, feſtoſque uti fidelem decet, colendos, illi ſanctis in operibus ſunt traducendi, qualia ſunt divinis intereſſe officiis, Dei verbum audire, frequenter ad Sacramenta accedere, charitatis opera exercere, pro cujuſcumque pietate & commodo. Itaque dubitandi locus non deeſt, utrum qui feſtinanter tantummodo Miſſam audire ſatis putaret, & reliquam diei partem in ludos, aliaque ſolatia, vel inanes, & mundanas occupationes tranſmitteret, hic Dei pręcepto de his diebus ſanctificandis ſatisfaceret.

Quorumdam Patrum, ac Theologorum ſententiæ de Sabbathi obſervantia.

Feſtos dies ſanctificare juxta D. Thomę doctrinam eſt hos dies ab aliis ſeparare, ut in Religionis actibus impendantur; eos in Dei opus & beneficiorum illius gratiarum actione traducere: 2. 2. *quæſt. 122. art. 4. Illæ enim dicuntur ſanctificationes in lege, quæ divino cultui applicantur*. Sanctus Cyrillus Alexandrinus affirmat ad diem Dominicum ſanctificandum præcipue animum noſtrum excolendum eſſe, atque ornandum, ut mundos, & ab omni labe vacuos noſmet Jeſu Chriſto offeramus. Sanctus Auguſtinus inter cætera hujus diei officia, illud etiam recenſet ab omni noxa abſtinendi, tamquam opere, quod non ſervile ſolum eſt, ſed quod nos dæmonis ſervos facit; quod locum prębuit quibuſdam Theologis aſſerendi eum, qui die Dominico peccatum committit, exempli gratia, qui inebriatur, duplex peccatum committere, alterum quod peccat contra temperantiam; alterum vero quia peccat ea die, quæ potiſſimum divino cultui dicata eſt; itaut peccatum hoc confitenti in confeſſione hæc aggravans circumſtantia non ſit prætereunda. Non omnes in hanc abeunt ſententiam, quæ innititur ſimilitudini ex peccato in loco ſacro perpetrato, qui per illud polluitur, licet fateantur hac temporis circumſtantia peccatum aggravari, non ideo tamen putant tertium lethale peccatum exiſtere; hæc enim peccati acceſſio non fit propter diei ſanctitatem, quæ non eſt finis feſtivitatis, qui tantummodo eſt Deum, vel Sanctos colere. Quod pertinet autem ad peccatum in Eccleſia patratum eadem non conſtat ratio; quia ibi nihil ferme eſt, quod non violet directe eam reverentiam, quæ loco ſancto debetur.

Plerum Dominicorum ſupra reliquos dies prærogativæ.

Non in ſola ab operibus ſervilibus ceſſatione Dominici diei ſanctitatem conſtituit Eccleſia. Ut ejus diei ſolemnitas fieret auguſtior, inſtituit etiam uſus quoſdam, ſeu ad ejus diei ſanctitatem commendandam, ſeu ad diem illum a cæteris diſtinguendum nota quadam ſpiritualis lętitiæ. Hac mente pręcipit, ut hac die, uti cæteris publicæ preces non fierent flexis genibus; ut minime jejunaretur & ab aliis exterioribus pœnitentiæ exercitiis abſtineretur. Huc etiam Agapes referri poſſunt, hoc eſt charitatis convivia, quę Dominicis præſertim diebus fiebant in exitu ex Fidelium cœtibus inter primævæ Eccleſiæ Chriſtianos, ubi modeſta permittebatur lętitia. Sed abuſus, qui deinde gliſcere cœperunt, effecit ut hic uſus quarto Eccleſiæ ſeculo ubique auferretur.

Cur Scriptura ita explicite memoret diem, quo Deus colendus eſt.

Queri poſſet; cur in Decalogo Sabbathi ſanctificationem pręcipiente mentio fiat temporis tantum, quo Deo cultus debitus reddendus eſt. Ratio, quam Patres, atque Interpretes afferunt, eſt; non omni tempore eodem pacto hoc munere perfungi licere, quemadmodum non licet ſingulis momentis ſonum capere, & corpus reficere; alia enim plurima ſunt nobis neceſſaria, quibus natura, & ordo Providentię nos ſubiecit. Itaque ne huic deeſſe poſſemus officio, quod potiſſimum eſſe debet, & ne propter cętera, quę minus neceſſaria ſunt, vel illud negligeremus, vel penitus omitteremus; opus fuit, non ſolum ſtatutum præfigere tempus, verum illud etiam, atque etiam commendare, ac ſępe iterare præceptum, quemadmodum paſſim præſtat Scriptura.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, Neotericiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Sabbathum apud Judæos ſignum erat, & quid apud illos ſignificaret.

SAbbathum ſignum erat indigitans debere homines ſeſe divino cultui dicare, & coram Deo mundos, ſanctoſque prodire; 1. quia dies hæc illi erat ſacra, & dies ſancta non eſt, niſi quod homines tunc temporis maxime tenentur ſanctitatis, & religionis opera facere. 2. Signum erat, & quoddam veluti ęternum monumentum admirabilis Univerſorum creationis. 3. Signum erat Iſraelitis, totique eorum poſteritati, ut meminiſſent ſe de duro Ægyptię ſervitutis jugo Dei ope evaſiſſe; quemadmodum ille ipſe teſtatur his verbis: *Memento, quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbathi*. 4. Denique erat figura Sabbathi ſpiritualis, & ſacrę requiei, qua fideles perfruuntur, cum veteri homine ſepulto, ut vivant Jeſu Chriſto, ad vitam novam reſurgunt, atque iis vacant actionibus, quę ſunt pietati Chriſtianę conformes. *Catechiſmus Concilii Tridentini in tertium mandatum.*

Quam æquum ſit unum ſaltem diem divino cultui dicare.

Juſtum, ac rationi conſentaneum eſt, nos certos quoſdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque noſtrum, a quo ſumma, & innumerabilia beneficia accepimus; agnoſcamus, colamus, ac veneremur, ſi enim juſſiſſet, nos quotidie Religionis cultum ſibi tribuere, nonne pro ſuis erga nos beneficiis, quę maxima, & infinita ſunt, omnibus opera danda eſſet, ut prompto, alacrique animo ejus dicto audientes eſſemus? Nunc vero paucis ad ejus cultum inſtitutis diebus, non eſt, cur nos negligentes, atque difficiles in hoc officio ſimus, quod ſine graviſſima culpa pętermittere non poſſumus. Qui vero hanc legem omnino negligunt, hi, cum Deo, & Eccleſię non obediant, neque ejus pręcepta audiant, & Dei, & Sanctarum legum hoſtes ſunt, quod animadverti poteſt ex eo, quod pręceptum hoc ejuſmodi eſt, ut nullo labore ſervari queat. Cum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos ejus cauſa ſuſcipere deberemus, ſed quietos illis feſtis diebus, & a terrenis curis vacuos eſse jubeat, magnę temeritatis indicium eſt, hujus pręcepti legem recuſare. *Idem.*

Non prohibemur bene facere die Sabbathi.

Si Dominici pręcepti ſenſum ſcrutari velimus, Judęis quodvis opus ſervile Sabbatho prohibentis, liquet, hoc factum, ut illi ad tempus temporalium negotiorum curam abiicerent, divino cultui omnino vacaturi. Itaque tantum abeſt, quod bonę actiones die Sabbathi prohiberentur, ut immo hac lege tenerentur magis peculiari attentione eiſdem operam dare; & videmus, Dei Filium hunc diem eligere voluiſſe, quo plura prę cęteris miracula operaretur. Sed opus ſervile, a quo potiſſimum erat abſtinendum, peccatum erat, quo efficiebantur affectuum ſuorum mancipia, atque dæmoni ſubjiciebantur. Deus Sabbathum inſtituens, Sanctus Chryſoſtomus inquit, oſtendit ſe nihil aliud cupere, niſi, quod a peccando abſtineatur. Nihil operis, ait ille, facietis, pręter ea, quæ animæ ſunt propria. Hoc enim die in Templo, uti vulgo aliis fiebat, immo etiam plus quam aliis. *Abbas de Monmorel, Homil. in Evangel. Dominic. 16. poſt Pentecoſten.*

De ſanctificatione Dominici diei.

Dies Dominicus Sabbatho ſucceſſit. Vetamur hoc ſancto die quodcumque ſervile opus facere; & divinis intereſſe officiis jubemur. Poſt ſex dies in ſęcularium negotiorum tumultu tranſactos, nonne juſtum eſt, ut una die noſmet colligamus ſpiritualibus negotiis impenſius operam navaturi: *Sex diebus operaberis, & facies opera tua: Septimo autem die Sabbathum Domini tui eſt: non facies omne opus in eo*. Exod. 20. Ut autem ſanctos hos dies digne celebremus, omnes induſtriæ nervos intendere debemus, ut malum quid vitemus, & operemur bonum. Verum quidem eſt nullum eſſe tempus, quo malum facere liceat, & quo bonum operari non teneamur; at verum quoque eſt peculiares nobis incumbere obligationes ſtatis quibuſdam diebus, itaut alterum quidem accuratius evitare, alterum vero ferventius facere debeamus. O nos miſeros! Quis putaret, niſi ipſe ſuis oculis intueretur? Chriſtiani æque rudes, ac olim Judæi putant ſe præcepto dies feſtos, Dominicoſque obſervandi ſatisfacere manuum labore abſtinentes; quaſi externa tantum munditia quæreretur, neque anima eſſet colligenda, ac roboranda, quæ fortaſſe ſęcularium negotiorum ſollicitudine diſſipata, infirmataque fuit. Hoc adeo verum eſt, ut illi quorum eſt mente magis, quam corpore laborare, & quibus non alia cura eſt, niſi ludis, ſolatiiſque indulgere, minime dies feſtos ab aliis diſtinguant, & putent, nulla in re exprobrari poſſe, ſi feſtinanter utcumque Miſſam audiverint mente negotiis repleta, vel corde affectionibus occupato. Affirmare etiam poſſumus, generaliter loquendo, diebus feſtis, Dominiciſque plura quam aliis peccata committi; quamobrem Sanctus Chryſoſtomus dicere conſueverat, Sabbathum quidem inſtitutum fuiſſe, ut anima ab iis elueretur ſordibus, quas forte per hebdomadam contraxerat, at in eo graviora, pluraque peccata patrari. *Idem.*

Quam male, vel negligenter huic præcepto pareamus.

Quam male præceptum hoc adimpletur? Quin diebus Dominicis hebdomadæ peccata expientur, affirmari de iis potiſſimum poſſunt, qui mercenariam profeſſionem exercent, hac die plura ab ipſis peccata committi. Quærunt diem illum inter compotationes, libidineſque traducere, ac profanæ lætitiæ re prorſus mancipare. Poſſet igitur hodierna die nobis Salvator dicere, quod olim Judæis per Iſaiam Prophetam: *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea; facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.* Notanda hęc verba ſunt: *Solemnitates veſtras*, quaſi diceret Dominus; ſolemnitates meas convertiſtis in veſtras, & dies, qui gloriæ meæ dicandi erant, affectibus veſtris ſacraſtis. *Solemnitates veſtras odivit anima mea. Idem.*

Adhortatio Patris Machabæorum ad filios, ut Dei legem obſervent.

Adnitamur toto pectore, fratres mei, ut fideles ſimus legis obſervatores: & cum Propheta dicamus: *Tempus faciendi, Domine, diſſipaverunt legem tuam. Pſal.* 118. Superbia, & impietas calamitoſiſſimis his diebus triumphant, ajebat ſtrenuus Machabæorum pater ad filios ſuos; vix ullum legis veſtigium dignoſcitur; Antiochus omnes ſolemnitates noſtras fœdavit; eſtote ergo fortes filii, ac libere vitam veſtram impendite, ut Patrum veſtrorum Teſtamentum tueamini. Heu! Chriſtiani pro ſalute noſtra, & Dei noſtri gloria oſtendamus non deeſſe hodierna etiam die veras, ſolidaſque virtutes; oſtendamus, vigere adhuc fideles qui eo impenſius Dei Legem colunt, quo indignius ab impiis eam pollui conſpiciunt, & qui ex pravo aliorum exemplo nihil aliud percipiunt, quam ſanctam indignationem contra eos, a quibus prębetur, ac majorem zeli fervorem, ut illud evertant. Dies ſancti inter flagitia traducuntur; effrænis licentia aditum aperuiſſe videtur ſceleribus omnibus; lex impune vertitur in ludibrium, & vix ullum ejuſdem in mundo veſtigium videtur. Nulla ergo reliqua eſt Eccleſiæ ſpes, quam in exiguo filiorum ſuorum numero, quorum fidelitas aliorum criminibus debet ſupplere. In manibus noſtris gloriam ſuam collocat: noſtrum eſt, acceptas reparare clades, ejuſque decus tueri ſanctis hiſce diebus per exempla pietatis, quę æque publica ſint, ac ſcandala eorum, a quibus dedecoratur. *Liber, cui titulus. Eſſais de Sermons pour les Panegyriques.* Tomo 1.

Deus hanc elegit diem ut præcipua hominibus conferret beneficia.

Adnotarunt Sancti Patres, Dominum ſemper Dominicum diem elegiſſe, quo præcipuas gratias hominibus conferret: *Innumeris benedictionibus diem Dominicam ſanctificavit*, inquit Sanctus Gregorius Magnus. Die Dominico, hoc eſt primo hebdomadæ die Manna pluere cœpit in Iſraelitarum alimoniam; qua re, ut optime animadvertit Origenes, ſignificatum eſt, hunc illum eſſe diem, quo Deus filios ſuos Euchariſtico Pane, cujus figura Manna erat, alere vult: *Jam tunc oſtenſum eſt die Dominica panem cœleſtem eſſe manducandum.* Die Dominico, eo videlicet, qui huic reſpondet diei, Jeſus Chriſtus in deſerto mirabilem illam panum multiplicationem perfecit, qua innumeram hominum aluit multitudinem. Hunc ipſum diem pro Reſurrectione ſua elegit, quæ pignus eſt Reſurrectionis omnium hominum. Hoc denique die miſit Deus Spiritum ſuum ad Eccleſiam, eique omnium gratiarum plenitudinem communicavit. Nonne igitur dicendum eſt cum Sancto Bernardo diem hanc *diem eſſe remiſſionis, diem exultationis, diem Jubilæi? Sermo pro Paſſionis Dominica.*

Dominica dies ſignum eſt fœderis nobiſcum initi, quemadmodum Sabbathum ſignum erat fœderis cũ Judæis percuſſi.

Dominus diem Sabbathi Judæis dederat tamquam pignus fœderis, quod cum illis pactum fuerat: *Videte, ut Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos.* Si res ita ſe habet, inferendum eſt, Dominicum diem, qui in recenti lege idem eſt ac Sabbathum in antiqua, ſignum quoque eſſe fœderis arctioris, ac nobis eſſe debere gratiarum omnium fontem, atque benedictionum. Hac enim fidelibus feliciſſima die Deus illis offert quidquid habet eximium, atque pretioſiſſimum, divinum verbum, ſanctam gratiam, ſacrumque ſuum in Euchariſtia adorabili corpus. At quænam eſt ingratitudo noſtra? Quo plures gratias ſancta die hac nobis Dominus offert, eo minus illas recipimus. Excidere ſinimus ſanctum illius verbum, quin ex eo fructum percipiamus: gratiam, & veniam, quam nobis in Pœnitentiæ Sacramento offert, negligimus detrectantes ad illud accedere ea præſertim die, quæ peccatorum noſtrorum remiſſioni deſtinata eſt; neque paſci volumus corpore, & Sanguine Jeſu Chriſti, a ſancta illius Menſa recedentes. Heu! Si Deus eamdem Ethnicis, ac Idolorum cultoribus gratiam elargiretur, illi fortaſſe non uti Chriſtiani, eadem abuterentur. *Idem.*

Dies Dominici non violantur ſolum ſervilibus operibus.

Liquido conſtat, Fideles offendere Deum, cum ob temporalem quæſtum die Dominico laboribus corporis exercentur, ſanctum quippe profanant diem, quem ſibi ſacrum Deus voluit, & Domino negant cultum, qui eidem debetur. Nihilominus nocentiores ſunt, cum illum in peccatis traducunt; non quod liceat cæteris diebus peccare, ſed quod peccata ſancto die perpetrata graviora ſunt. Si enim Fidelium ſcelera coram Deo multo graviora ſunt, quam Infidelium, hac una de cauſa, quia Fidelium ſcelera ſunt; quis ambigit, utrum dierum, quibus peccata committuntur, ſanctitas recentem illis adjiciat enormitatem? Ad vos mihi ſermo, o effrænes homines, qui Dominicorum, feſtorumque dierum partem in aleis, ludis, theatris, ſpectaculiſque tranſigitis? Ad vos, mundanæ mulieres, quæ hos ſacros dies deambulationibus, & choreis deſtinatis, eoſque aptiores eſſe cenſetis, quibus majori cum ſcandalo ſuperbiam, vanitatemque veſtram oſtentetis: Ad vos, artifices procaces, qui religioni vobis vertitis ſanctum hunc diem in conſuetis opificiis traducere, & cenſetis vobis abſtinendum non eſſe quin ludis exerceamini, quin cauponas, popinaſque ardeatis, voſque mero ad ebrietatem proluatis eo die, qui in divino cultu traducendus eſt; Ad vos, inquam, mihi ſermo; vel potius vos ipſe alloquitur Deus, cum ait: *Odivi, & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Ibidem.*

De operibus vetitis die Dominico.

Quod pertinent ad manuum laborem, hic per ſe quidem malus non eſt, neque illum damnare voluit Deus, cum, ut ab eodem ſacris his diebus abſtineretur, imperavit. Immo neque otium, atque inertiam laudat, quæ per ſe grave malum eſt; ſed ut indifferens exercitium, vel occupatio, quæ per ſe bona eſt, pauliſper cedat meliori, & præſtantiori, propter quam potiſſimum creatus eſt, quæ eſt Deum cognoſcere, eum adorare, illi inſervire, ac ſuper omnia diligere. Hic finis eſt divinæ legis: Sex hebdomadæ diebus operi vacabis, atque tuis neceſſitatibus conſules: dies autem ſeptima dies eſt Dominicæ quietis; omniaque relinquens, ut Deum adores, & colas. *Idem.*

De ratione celebrandi Dominicos aliosque feſtos dies.

Quoad modum, quo a nobis die Dominico Deus eſt colendus, conſideranda eſt regula, ab immemorabili traditione profecta, atque inter Eccleſiæ Canones relata. Primi Fideles ſancto hoc die ſimul conveniebant oraturi, divinum verbum audituri, ſancti Sacrificii Corporis, Sanguiniſque Dominici participes futuri, & nocturnas, diurnaſque laudes Domino decantaturi; & Dominicus dies ita celebris erat, quemadmodum Sanctus Auguſtinus docet, ut plerique matutinis horis, quæ noctu concinebantur, & toti intereſſent Officio: Utinam mores noſtros ad primorum Fidelium exempla componeremus! nequaquam Dei iram in nos accenderemus, uti facimus irreligione noſtra, quæ efficit, ut dies Domini in dies peccati immutemus. *Idem.*

Præceptum diei Dominici ſervandi univerſale eſt.

Cum Sabbathum ex S. Bonaventurę Doctrina a Deo fuerit inſtitutum ad expiandum populum ſuum, eumque ad officium identidem revocandum; præceptum illius obſervandi nequaquam haberi debet tamquam ſimplex, & particulare præceptum, ſed tamquam univerſale mandatum in ſe quodammodo integrum continens legis complementum. Cum prohibet nobis Dominus blaſphemiam, furtum, cædem, aliaque plura peccata; hæ prohibitiones particulares ſunt, neque ſecum alias involvunt: & hęc particularia mandata intra ſuos limites continentur, quin ad aliorum complementum referantur. Hoc ipſum nequaquam omnino dicendum eſt de Sabbathi ſanctificatione; quod profecto mandatum eſt ab aliis diſtinctum, ſed non parum aliorum confert complemento. Quare? quia qui illud obſervat, cum Deo, ſuiſque vacare debeat officiis, agnoſcit quid ſibi faciendum ſit, quid evitandum; ac inde teneri intelligit ad expianda peccata, quæ patravit, & virtutes exercendas, quarum praxim contempſit. Quamobrem Sanctus hic Doctor animadvertit, Deum hoc irrogantem mandatum voluiſſe, ut Judæi diem hunc ſanctificare recordarentur: *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices*; Exod. c. 20. & ea præcaviſſe, quę numquam in aliis; hoc enim idem eſt ac ſi diceret: Si ita nequam fuiſtis, ut per hebdomadam officiorum veſtrorum oblivіſceremini, mementote voſmet Sabbatho colligere, ut illis perfungamini. *Memento*. Si criminoſa oblivione in multa cecidiſtis pec-

BIBLIOTECA CENTRAL

peccata voſmet affectionibus veſtris tradentes, uſuras, & injuſtitias committentes, mementote illas expiare, ac legem meam ad unguem adimplere. Non poteſtis digne diem Sabbathi ſanctificare, quin voſmet ipſos ſanctificetis; neque voſmet ſanctificare poteſtis, quin legem meam adimpleatis. *Ibidem Dom. Tom. 1. pro Dom. 16. poſt Pentecoſten.*

De malis quæ Dominicis feſtiſque diebus fiunt.

Veritatem non ſine multo rubore, atque confuſione fateamur: videtur chriſtiana plebs Dominicos feſtoſque dies non agnoſcere, niſi quia tempus tunc illi ſuppetit ſeſe in omne libidinum genus effundendi, ac in fumoſis popinis ſeſe vino ingurgitandi ad inſaniſſimam ebrietatem, quæ poſt ſe omnia malorum, criminumque genera pertrahit. Hoc Eccleſiæ Patres impulit, ut toties inveherentur contra Fidelium flagitia, quæ ævo ſuo feſtis potiſſimum diebus committebantur. Audite, S. Chryſoſtomus inquit, quid Propheta dicat: *Væ vobis, qui venturi eſtis in diem malum, qui tangitis Sabbatho mendacia.* Quid ſibi vult hoc Sabbathum mendax, & falſum? Hoc nempe, quod cum Judæi Sabbatho ceſſare deberent ab opere, omneſque corporalis vitæ curas, & labores omittere, ſobrie, ac modeſte vivere, divino ſe reficere verbo, ac bonis operibus indulgere; prorſus oppoſitum efficiebant, comeſſationibus, compotationibus, ludis, & voluptatibus indulgentes. Propheta Dei nomine loquens hoc illis exprobrat vitium, hoc ſcelus, eiſque terribile minitatur judicium, quod ipſi ſibi conflant. Si homines illi qui adeo rudes erant, atque carnales adeo juſto perculſi fuere ſupplicio, eo quod diem Sabbathi, alioſque feſtos dies male inſumpſerunt; ambigi nefas eſt, utrum Chriſtiani, tot luminibus illuſtrati, tot gratiis adjuti multo ſint nocentiores, ſeverioreſque pœnas mereantur, cum ſcelera ſua iis potiſſimum committant diebus, qui divino cultui dicati ſunt, eoſque Ethnicorum more traducant? *Ibidem, Tomo 4. 1. Dominica poſt Epiphaniam.*

Nos Sancti exprobrabunt, eo quod feſtivitates eorum contemptimus.

Mementote, Fideles, Sanctos, cujus feſtivitates polluitis, aliquando Judices veſtros futuros. Heu! quid illis reſpondebitis exprobrantibus, quod quin eorum virtutes imitaremini, in omne vitiorum genus abiiſtis, & in ſpeciem memoriam eorum colentes, re ipſa eos dedecore affeciſtis? Dominus ſatis aperte profeſſus eſt ſe cum omni iræ ſuæ furore pœnas ſumpturum de pollutis ſolemnitatibus, quæ chriſtianis feſtivitatibus imprudentiſſime ſubrogatæ fuerunt. Non patiar, inquit ille, per Iſaiam Prophetam, feſtivitates veſtras infames, & noxios conventus veſtros; omnes ſolemnitates veſtras deteſtor. *Idem.*

Iſaiæ c. 1.

Cur Eccleſia ſtatos dies Dei cultui dicaverit.

Docet Origines, benigna Eccleſię erga infirmos indulgentia factum eſſe, ut ſtatis diebus peculiares inſtituerentur feſtivitates, ut quibus ſatis non eſſet fervoris, ut jugiter mente, ac animo Jeſu Chriſti Myſteriis, diviniſque vacarent perfectionibus, poſſent per intervalla ſeipſos renovare, ac in ſe charitatis ignem accendere, qui alioquin negotiorum ſæcularium turba extingueretur. Sed quod indulgentię, & charitati, quæ eſt erga infirmos habenda, conceſſum eſt, non debet inertiam, negligentiamque fovere. Hæ imbecilles, & carnales animæ novos ſubinde conatus exerere debent, vel ut ſeſe expediant ab iis omnibus negotiis, propter quæ mundo inhęrent, vel ut cor, affectuſque ſuos a bonis, dignitatibuſque divellant, quas relinquere vel nequeunt, vel nolunt; ut donec iis vacaverit corpus, ſpiritus acquirere poſſit ſanctam hanc libertatem vacandi Deo, Jeſu Chriſti Myſteriis, & juge, ardentique æternæ vitæ cupiditate flagrare. *Deſumptum ex Tractatu de diebus feſtis Patris Thomaſſini.*

Feſtivitates noſtræ eſſe poſſunt perennes.

Sanctus Hieronymus ait, Fideles argui non poſſe tamquam judaizantes, iiſdemque temporum, menſium, dierumque obſervantiis addictos, quamquam in ſingulis hebdomadis diem feſtum colant, nec non Paſcha, Pentecoſten, & Martyrum celebrent ſolemnitates. Et ratio conſtat; non ſolum enim Jeſu Chriſti Reſurrectio, & Spiritus Sancti deſcenſus objecta ſunt longe ab illis diverſa, quæ Synagoga ſibi proponit in Paſchate, atque Pentecoſte; ſed etiam quod adorabilia myſteria, quibus in Paſchate, aliiſque feſtivitatibus occupamur, æterna myſteria ſunt, non diei vel menſis propria; ſed eamdem excellentiam, virtutem, ſanctitatem, eamdemque gratiarum affluentiam habentia, omnibus menſibus, omnibus diebus, omnibuſque anni momentis. Nullus eſt in anno dies, ſi velimus, quo Jeſus Chriſtus pro nobis non moriatur, atque reſurgat; nullum momentum eſt, quo nova Spiritus Sancti in nos effuſio non fiat, ſi illi recipiendo parati ſimus. Verum quidem eſt, non omnes fideles ſublimem hanc perfectionis, & charitatis attigiſſe verticem, itaut divina myſteria illis ſemper æque præſentia ſint, & efficacia. Propter hos igitur peculiares inſtitutæ fuerunt ſolemnitates, ut in illis novam acquirere poſſent virtutem, ſeſe ſaltem ad breve tempus ſæcularibus negotiis expedientes. *Idem.*

In Epiſt. ad Gal. c. 4.

Cur ſtati dies, ſtatæque horæ Dei cultui fuerint deſtinatæ.

Idem Sanctus Hieronymus affirmare non veretur diebus feſtis, atque Eccleſiaſticis nihil majus ineſſe, quam cæteris; ſed diſtinguendos hos dies feſtos in Eccleſia fuiſſe, ut magis, magiſque inſtauraretur, atque inflammaretur Fidelium charitas erga Deum, coram quo in Eccleſia conveniunt, & erga fratres, cum quibus conveniunt. Eodem in ſenſu dici poſſet, diei feſti horas non eſſe alias aliis ſanctiores, omnes enim ſimul diem ſanctum componunt; ſed neceſſe fuiſſe aliquas ab aliis diſtingui, & aliquot divino cultui dicari, ac divini Officii diverſis partibus addici, ut fervor harum ſanctarum horarum in alias etiam horas effuſus quodammodo reliquum diei ſpatium ſua pietate condiret. Peculiares anni feſtivitates eamdem habent rationem cum univerſali hac, & jugi feſtivitate, quam divini cultus horæ cum toto die feſtivitatum particularium. Omnia quodam ſenſu æque Deo dicata ſunt, quemadmodum a Deo profecta, & ad Deum reditura; ſed charitatis flamma, & cordis applicatio orationi cum nequeat ſemper æque fervens eſſe, dies aliquot deſtinandi fuere, & aliquot horæ, immo etiam in qualibet hora aliquot momenta eligenda, ut in illa inſtauraretur. *Idem.*

De præſtantia diei Dominicæ, ejuſque inſtitutione.

Jeſus Chriſtus die Dominica reſurrexit, & Eccleſia in hanc diem tranſtulit Sabbathi feſtivitatem. Evangeliſtæ diem hanc primam poſt Sabbathum appellarunt, *Una Sabbathi, prima Sabbathi*; omneſque memorare voluerunt hac die Dei Filium devicta morte triumphantem in glorioſam, immortalemque vitam ſuam rediiſſe; dediſſeque initium novo mundo efficiendo, ſecum omnia reſurgerent corpora, quorum ipſe erat caput, *Conreſuſcitavit. Si conſurrexiſtis cum Chriſto.* Naturalis mundus die Dominico fuerat creatus; ſeptima enim dies fuit dies Sabbathi, & quietis. Docuit in Actis Apoſtolorum S. Lucas, Apoſtolos, ac Fideles deinde eodem Dominico die congregari conſueviſſe, ut Sacrificium celebrarent, ac prædicarent: *Una Sabbathi cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat.* Ecce palam Dominicus dies, Panis Euchariſticus, Prædicatio. Sanctus Paulus iiſdem loquitur verbis, & aliam addit ſacrificii ſpeciem, nempe eleemoſynas, & collectas, quæ omnibus Dominicis diebus fiebant. Non igitur laborandum eſt circa mutationem diei ſeptimæ quieti, ac Feſtivitatis celebrationi dicatæ; cum enim hæc mutatio ab Apoſtolis fuerit effecta, & fortaſſe tunc etiam temporis, quo Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem adhuc verſabatur in terris, crucem nobis figere nequaquam decet, ſcire quanam id factum fuerit auctoritate. Neque poſt hæc mirum eſt, ſi deinceps Eccleſia Dominicum diem conſtituerit, quo Fideles congregarentur, & Sacrificium ſolemnius, quam reliquis diebus celebraretur; denique ut Verbum Dei prædicaretur, Scripturę explicarentur, & laudes Deo concinerentur. *Idem.*

Ad Epheſ. 2.

Act. 2.

Voluit Deus nobis in memoriam revocare cultum a nobis ſibi præſtandi, cujus alioquin obliti fuiſſemus.

Adeo cęci ſumus propter affectus noſtros, adeo parum officiorum noſtrorum cognitioni intenti, & in adeo profunda earum rerum, quę ad Dei cultum pertinent, oblivione ſepulti, ut numquam fortaſſe ad animum appelleremus Dominicis, feſtiſque diebus ſanctificandis, niſi Deus ipſe juberet, nos identidem colligi, ut eorum idea nobis præſentior, & conſuetudo vel magis familiaris, vel ſanctior efficeretur? *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices.* Hæc eſt Sancti Auguſtini argumentatio. *Ex Moralibus Sermonibus, Sermone hujus argumenti.*

Exod. 20.

Dominicus dies diligentius obſervandus eſt, quem olim dies Sabbathi.

Si Judaico populo interdictum erat quodcumque opus ſervile, ut in pace libertatis ſuæ feſtivitatem celebrare poſſet, quo potiori jure fideles ab hujuſmodi operibus ceſſare debent, ut diem Dominicum recolant, diem videlicet Reſurrectionis Jeſu Chriſti, diem ſalutis ſuæ, ac libertatis; diem, qua Deus non ſolum de peccati ſervitute illos eripuit, ſed etiam de Mundi, quæ ſervitus eſt conſuetorum negotiorum, impedimentorumque ſuorum? *Idem.*

Hi dies vulgo profanantur.

Tanta eſt ſęculi noſtri cæcitas, & ſanctorum horum dierum profanatio. Etenim cave, ne teipſum decipias, Sanctus Auguſtinus ait: malum faceres, ſi aratro terram foderes, at pejus malum facis diem hunc in ludis, & compotationibus traducens. Malum, o Matronę, faceretis, ſi acum, penſumque attrectaretis, ſed pejus malum facitis, dum aleis, & choreis indulgetis. Quidquid contra legem eſt, omni quidem tempore, potiſſimum vero Dominicis, feſtiſque diebus interdictum eſt. Mulier quædam religioni ſibi maxime vertet domeſticæ rei curam aliquam gerere die feſto, aut Dominico: at religioni non vertet, plures horas ad ſpeculum ſeſe componere, ancillaſque ſuas in ſe ornanda occupare, ut in cœtu, vel Templo formoſior, ac venuſtior videatur. Vel quia extrinſecus præcepto ſatis fecerit Miſſam audiens, putabit ſe omnino officio defunctam ſuo, licet magnifico ornatu, indiſcretaque nuditate pluribus ſcandali occaſionem prębuerit. Opifex quidam, qui nullo ſe flecti pateretur pretio, ut diebus hiſce arti ſuę manum admoveret, eos in aleis, ac impudicitiis traducit, hebdomadę totius lucellum obliguriens, quin cogitet, familiam ſuam ideo ſumma laboraturam inopia. Feſtis dumtaxat diebus, popinę, cauponęque mortalibus oppletæ ſunt; hoc tantum tempore fideles affluenter ad ſolatia, & ſpectacula turmatim concurrunt, quaſi inſolentius Deum in ludibrium traducturi, & nequiori impietate hos dies, quę ad ipſum pertinent, profanaturi. Si deambulationes inſtituendæ ſunt, ſi viſitationes ultro, citroque excipiendæ, atque reddendę, ſi negotia procuranda, & contractus ineundi, ad hæc obeunda Dominici, feſtique dies eliguntur! *Ibidem.*

Aliqua permittuntur Dominicis diebus ſolatia.

Quamvis hi ſancti dies omnino pietati, divinoque cultui dicati ſunt, nemo tamen ire poteſt inficias, honeſtas quaſdam animi remiſſiones ab Eccleſia permitti; & licet religioſiſſimi eſſent ſanctorum horum dierum obſervatores primi fideles, videmus tamen, eo etiam tempore, quo magis Eccleſiaſtica vigebat diſciplina, Chriſtifideles quamdam præſetuliſſe lętitiam nitidioribus, elegantioribuſque ſe veſtibus induentes, præſertim vero convivia exercentes, quæ Agapes appellabantur, convivia videlicet charitatis, quæ ita erant inſtituta, ut cum amicis oblectarentur, & pauperes alerentur; & in quibus non minus pietas quam ſolatium quærebatur, ob pia colloquia, quibus dapes, ut ita dicam, condiebantur. Sed poſt hoc epulum, quod frugalitas, atque devotio magis commendarunt, quam magnificentia Ethnicorum conviviorum, iidem fideles a menſa ad Eccleſiam confluebant oraturi, itaut dici poſſet, menſam quamdam eſſe pietatis diſpoſitionem & fervoris maximam factam fuiſſe acceſſionem ex ipſis ſolatiis; qui profecto hujus inſtitutionis fuerat finis, atque conſilium, ut aliquantulum remitterentur, mox ardentius charitatis exercitia, & officia religionis repetituri. Ita de illis loquitur Tertullianus, qui licet ſeveriſſimus, hęc tamen honeſta probat ſolatia, quæ ego libenter ſancta, & chriſtiana vocarem; ita inquam loquitur: Ex iis conviviis egreſſi non pergimus eos ſpectaturi ludos, ubi nihil præter cædem, & ſanguinem videtur; non ad eos conventus properamus, ubi impietas, obtrectatio, impudicitia triumphum referunt de virtute; in exercitationibus, actionibus, ſermonibus, ſolatiiſque noſtris nihil efficiat niſi pietas, modeſtia, frugalitas, itaut facile intelligi poſſit, iis in conviviis, quæ a nobis diebus feſtis habentur, nobis curę potius eſſe, ſpiritum divini verbi pane reficere, quam corpus dapibus ſaginare; noſtroſque feſtos dies inſtitutos eſſe, ut ſanctam infundant menti lætitiam, non ut corpori anſam tribuant voluptatibus indulgendi. Ubi ſunt beata hęc tempora, o Fideles? O nos miſeros! non vigent amplius prima illa vere aurea ſęcula; pietatis exercitia, quę tunc diebus feſtis conſueverant, ita ceſſarunt, ut pro charitatis conviviis, fiant tantummodo commeſſationes, impudicitiæ; & quin pauperes, ægroti, & xenodochia inviſantur; ſuſpectæ tantummodo, vel periculoſę viſitationes habentur. *Ex Manuſcripto Sermone.*

De criminibus, quæ ſanctis hiſce diebus patrantur.

Sanctus Gregorius Magnus refert, primis Eccleſię ſæculis feſtis Sanctorum Martyrum diebus dæmones de energumenorum corporibus egredi conſueviſſe fidelium pietate, ac precibus illinc expulſos; ſed calamitoſo hoc, quo vivimus, tempore, quis non affirmaret, dęmones confringere vincula, ac fidelibus potiri Dominicis diebus, tanta hi furunt impudentia, adeo enormis eſt profanatio, qua horum dierum ſanctitatem miſere polluunt? Et ſane undenam proficiſci poſſunt ludi, aleę, choreæ, comeſſationes, & compotationes immodicæ, quę his diebus vulgo fieri conſueverunt, niſi ex dæmonum ſuggeſtione, & calliditate, qui homines impellunt, ut hos dies divino cultui dicatos in omne nequitiæ genus impendant, atque eo tempore, quo Deo, & ſalutis ſuæ negotio vacandum eſſet, abutantur, ut effræni licentia impudentiſſime in omnes libidines ruant? *De la Font. In libro cui titulus Entretiens Eccleſiaſtiques in 16. poſt Pentecoſten Dominicam.*

De ſanctitate diei Dominicæ quæ Sabbatho ſubrogata fuit.

Dies Dominicus in lege nova Sabbatho fuit ſubrogatus: & Chriſtiani eo magis ab omni ſervili opere abſtinere debent, & a conſuetis vitę ſuę negotiis ceſſare, quo magis requies Jeſu Chriſti quam recolunt, cultu eorum digna eſt; hanc enim requiem omnes, & vitę ipſius labores, & mortis paſſiones præceſſerunt. Sanctus Gregorius Nazianzenus animadvertit, ſi opus eſſet, ut Dei recordaremur, eique peculiariter gratias ageremus ob omnia, quibus ab eo cumulati fuimus, beneficia, indeſinenter gratiis agendis eſſe vacandum; quandoquidem indeſinenter ille de nobis meretur perquam optime, & ne uno quidem momento vigere poſſemus, niſi omnipotens ejus dextera, quæ nos de nihilo eduxit, prohiberet, ne in nihilum reverteremur. Attamen ineffabili bonitate a nobis exigere noluit ea omnia, quę jure poterat; rationem habere dignatus eſt omnium occupationum noſtrarum, quibus vitę hujus neceſſitates nos addicunt; ac ſatis eſſe voluit, ſi ſinguli in hebdomada dies illi reſervarentur. *Idem.*

Quod crimen committunt, qui ſanctos dies polluunt.

Sanctus Chryſoſtomus affirmare non dubitat eos, qui ſanctum Dominicæ feſtivitatis diem in mundi hujus occupationibus, ludis, choreis, conviviis, aliiſque id genus profanis oblectationibus impendunt, nihilo minus nocentes eſſe, quam qui ſacrilego conatu ſacra Templa diripiunt. Si enim hi ea polluunt quæ divino cultui dicata ſunt; illi polluunt diem quem ſibi reſervavit Deus, & cultui ſuo ſacrum eſſe voluit. Intelligitiſne, Fideles, quodnam peccatum ſit ex hujus Patris ſententia, hos ſanctos dies temerare, atque polluere? Quęnam veſtra eſſet ſententia de illo homine, qui noſtra Templa diriperet, eiſque opulentiſſima auferret ornamenta, quibus majorum noſtrorum pietas ea decoravit; vel qui ablata vaſa ſacra in profanos uſus converteret? Video equidem vos hæc perhorreſcere crimina, & ad ſolam eorum cogitationem infrendere; noſtis enim ea, quęcumque licet minima, altarium miniſterio inſervierunt, ſacra fieri, ac nemini violanda; verum diſcite ſcelus hoc veſtrum, quo Dominicum diem profanatis ludis, comeſſationibus, & ebrietatibus, vel aliis mundi oblectamentis, ex Sancti Chryſoſtomi ſententia non eſſe minus ſacrilegium; ſanctum enim hoc tempus, quod profanatis, non minus Deo dicatum eſt, quam quælibet Templorum noſtrorum ſupellex. Quomodo igitur illum in alios uſus traducere liceat? *Idem.*

A quibus operibus ſit abſtinendum diebus feſtis, atque Dominicis.

Næ ille vehementer errat, qui putat pro ſervilibus operibus, quæ divina lege prohibentur, agriculturę tantum, vel opificii alicujus, cui per hebdomadam mercenarii occupantur homines, opera eſſe intelligenda. Interdictum hoc longe plura complectitur; extenditur enim ad omnia profana, & ſæcularia negotia, quæ nobis impedimento ſunt, ne divino cultui unice vacemus; extenditur ex Sanctorum Auguſtini, ac Thomæ ſententia ad omnem varietatem occupationum, quibus urbana hominum vita exercetur, & quibus ſingulis ſecundum ſtatum, ac profeſſionem cujuſcumque per hebdomadam vacant, niſi aliqua neceſſitatis, charitatis, vel pietatis ratio permiſerit, ut his etiam diebus iiſdem opera impendantur. Hæc lex etiam extenditur ad venationes, ludos, comœdias, deambulationes, inutiles viſitationes, vel alias profanas oblectationes, quibus poſt auditam feſtinanter Miſſam indulgemus. Ubi dies Dominicus incipit, quiſque fidelis cogitare debet, eam ſibi in auribus perſonare vocem, quam olim in revelationibus ſuis Sanctus Joannes audivit: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.* Jam dies Dominicus adeſt; a laboribus abſtinete, conſueta negotia abdicate, & hac intermiſſione laborum hujus diei ſanctificationem incipite. *Idem la Font.*

Apoc. c. 14.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Pro his ſervilibus operibus, quæ lege prohibentur, omnia intelligenda ſunt opera, quæ impedimento ſunt, ne unice divino cultui vacemus nimia cura temporalia ſectantes, fortunæ provehendæ rationem quærentes, litem procurantes, ut felicem exitum conſequatur, vel alicui operam dantes negotio, ut inde lucrum referamus. Nequicquam, Sanctus Auguſtinus ait, has occupationes, hæc ſtudia ſexcentis ſpecioſis prætextibus contegere adlaboratis; quæcumque a vobis adferatur excuſatio, quodcumque opus facitis, niſi ex neceſſitate, vel ex charitate faciatis, ſi illud, ut quæſtum, vel utilitatem

BIBLIOTECA CENTRAL

tem aliquam reportetis, vos facitis, jam hoc opus ſervile eſt, quod Divina Lex interdicit; peccatum eſt, quod Dominici diei ſanctificationem infringit. Neque minus falluntur, qui compotationibus, atque voluptatibus vacant, putantes voluptates, & oblectamenta nequaquam prohiberi, ut ea, quæ pro lucro obtinendo fiunt; & ſibi religioni minime vertunt, poſtquam divinis adfuere myſteriis reliquum diei ſpatium in aleas, venationes, theatra, aliaque id genus ſolatia traducere. Nonne enim apertiſſime conſtat has omnes nugas nihilo minus mentem noſtram avertere a divino cultu, & ſalutis noſtræ negotio, quam ſerias quaſcumque occupationes, ideoque nequaquam minus eſſe diei Dominicæ ſanctificationi contrarias? *Idem.*

Præceptum diei Dominici obſervandi nimis onerosum non eſt.

Numquid nimis multa a nobis exigit Deus diem in qualibet hebdomada flagitans, quo ejuſdem cultui vacemus? hoccine nimis grave jugum eſt, & pondus nimis oneroſum? Longe aliter mundus agit cum ſectatoribus ſuis; illos jugi occupatione obrutos videre vult, ut ſibi graviſſimam ſerviant ſervitutem. At Deus ineffabili indulgentia permittit, ut ſex diebus urbanæ vitæ muneribus navemus operam, atque temporalibus negotiis invigilemus, & ſeptimum quemlibet ſibi tantum reſervat? Decetne, quin adeo benignę bonitati gratias habeamus, meliorem ſancti hujuſce diei partem in profanas, mundanaſque occupationes traducere? Hoccine eſt unice divino vacare cultui, horæ dimidium eidem impendere? an potius hoc eſt illum fraudare meliori ejus temporis parte, quod ſibi voluit reſervari? Numquid ad tempus adeo arctum redigenda eſt gratitudo, quæ illis pro tot beneſactis debetur, quibus nos cumulat indeſinenter? Hunccine quieti ejuſdem adhibemus honorem, ut nulla ferme in re conſueta exercitia intercidamus? Numquid diei Dominicę ſanctificatio ad brevem tantum Miſſam coarctanda eſt? Itane vellemus famulos noſtros noſtris vacare negotiis, vel opifices nobis eos dies impendere, quibus illos conducimus? Hoccine eſt ſeſe terrenis expedire negotiis, ut cœleſtibus, ac ſaluti noſtræ melius invigilemus? *Idem.*

Cur Dominicæ diei feſtivitas inſtituta?

Verum quidem eſt Chriſtiani hominis vitam jugem eſſe debere divini nominis ſanctificationem, & omne illud tempus, quo in terris morari debet, ex S. Chryſoſtomi ſententia eidem eſſe debere perennem feſtum diem, quandoquidem eſſe debet imitatio, ac principium vitæ cœleſtis. Nihilominus, quia temporales neceſſitates noſtras avertunt cogitationes, neque ſinunt nos ſemper vacare Deo, uti Angeli faciunt; quoſdam elegit dies Deus, quos in honorem ſuum peculiariter dicatos voluit, & quibus nos ceſſare juſſit ab aliis operibus, ut omnino ejuſdem cultui vacaremus. Inter hos dies celeberrimus eſt ille, quem Dominicum appellamus, quaſi diem Domini diceremus; dies antonomaſtice, ita nuncupatus, quia eo die Deus præſtantiſſima edidit ſapientię, atque potentię ſuę opera. *Auctor Sermonum Chriſtianorum. Sermone hujus argumenti. Tomo 4.*

Cur hoc die a quovis corporali labore abſtinendum.

Poteſt profecto, immo, & debet coli Deus in ipſo labore: cum Chriſtiani ſecundum Evangelii regulam a Sancto Paulo prædicatam omnia, quæcumque faciunt in Jeſu Chriſti nomine, ac ſpiritu facere debeant. Sed quam difficile eſt, hominem, uti oportet, mentem ſuam ad Deum attollere, niſi ceſſet ab iis operibus, quę meliorem vitæ ſuę partem ſibi vendicant, ac prohibent, ne ſpiritu communes ſequatur preces, quas effundit Eccleſia ad Dei iram flectendam, ejuſque promerendam miſericordiam! Omnes anni dies Domini ſunt; ipſe dominus eſt temporis noſtri, ut bonorum noſtrorum, ipſiuſque vitæ dominus eſt; & inſignis eſt gratia, quam ſatis admirari non poſſumus, quod tantum nobis conceſſerit temporis, quo negotiis noſtris operam demus, & parum adeo ſuis reſervarit.

Hinc facile intelligi poteſt quam nocentes ſint coram Deo, qui ſine extrema neceſſitate, vel aliqua charitatis cauſa impellente pro ſordido quæſtu æque Dominicis, ac reliquis diebus jugi labore exercentur. *Idem.*

Illuſio eorum, qui ſatis putant hoc die Miſſam audire.

Putatiſne, Fideles, vos ſatis ſuperque Dominicum, alioſque feſtos dies, quos præſcribit Eccleſia, coluiſſe cum nitidioribus induti veſtibus, mane properaſtis ſacris interfuturi Myſteriis, ut reliquum diei ſpatium aleæ, comeſſationibus, veſtriſque oblectamentis impenderetis? At quis non videt, Sabbathum hoc, quod omnes Deo dignas actiones excludit, non aliud eſſe quam feſtivitatem vitiis veſtris dicatam, & ex iis feſtivitatibus unam, propter quas Amos Propheta ſancto zelo ſuccenſus exclamavit: Vę vobis, qui tanta pompa Domum Dei Iſrael ingredimini! Væ vobis, qui cum diebus Dominicis ceſſare ab omni vitæ corporeæ cura, modeſte vivere, voſmet divini Verbi pabulo reficere, actionibus pietatis vacare debeatis, in ludos tantum, & aleas, aliaque oblectamenta mentem, animumque transfertis! Vę vobis, qui tot ſceleribus diem malum maturatis, qui vobis dies futurus eſt perditionis, & calamitatis; *Væ vobis, qui venturi eſtis in diem malum, qui tangitis Sabbathi mendacia. Idem Auctor Sermonum Chriſtianorum.*

Mundana ſolatia non minus his diebus interdicuntur, quam Eccleſias ſimilibus actionibus profanare.

Si loci ſancti noſtris non debent inſervire ſolatiis, divino quippe cultui ſacri ſunt; cur licebit, in eadem impendi tempus eidem cultui dicatum? Tempus, quod Divinæ Majeſtati dicavit Eccleſia, num minus ſanctum eſt, quam templum ab eadem illi dicatum? Rationes, quibus innixa conſuetos feſtis diebus labores prohibuit Eccleſia numquid pro venatu, impudicitiis, aleiſque non vigent? Dici profecto nequit, quemadmodum Sanctus Thomas argumentatur, ab Eccleſia ideo labores illos his diebus fuiſſe prohibitos, quia mali ſunt; e contra enim ſunt neceſſarii, atque per ipſum laborem ſanctificari aliquis poteſt. Iis ergo diebus prohibiti ſunt, obſunt enim, ne ſpiritus unice Deo, atque propriæ ſalutis negotio vacet. At profanum oblectamentum, minuſne idoneum eſt menti a Dei cogitatione avellendæ, quam ſit corporis labor? *Idem.*

Indignum eſt feſtos dies in ludis tranſigere.

Idololatrarum feſtis diebus nihil ſolemnius erat, quam ludi; hic erat dæmoni cultus jucundiſſimus; quippe plurimorum ſcelerum cauſa. Primus cultus quem a populo Iſrael expetiit, poſtquam hic a vera Dei religione receſſerat, Vitulum aureum adoraturus, ludus fuit prope Idolum ſibi conflatum adhibitus: *Et ſurrexerunt ludere.* Nonne igitur erubeſcendum eſſet Fidelibus ſanctos feſtivitatum dies in iis ſolatiis tranſigentibus, quæ dæmon pro peculiari ſuo cultu inſtituit, ac ſacrilega profanatione, veri Dei in dæmonis cultum convertentibus. *Idem.*

Exod. 32.

Die Dominico ad examen ea ſunt revocanda, quæ reliquis diebus facta fuere.

In creatione Mundi Deus ſex diebus operatus eſt, die vero ſeptima, ut Scriptura teſtatur, ab opere requievit. At in quo hanc Domini requiem ſtetiſſe, refert Scriptura? In hoc: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Deus recenſionem inſtituit omnium operum ſuorum, eaque omnia bona, & perfecta invenit; atque in approbatione ſua ſuam reperit requiem. Hac præſertim in re a nobis eſt imitandus: relinquite opera veſtra ſervilia, atque ad examen revocate quidquid a vobis geſtum eſt per hebdomadam. Videte, utrum cum Deo dicere valeatis, quidquid a vobis elapſis ſex diebus factum eſt, bonum eſſe. Perpendite, utrum Deo, & proximo fideles fueritis, utrum ſtatus veſtri munera adimpleveritis, utrum in veſtris contractibus, & negotiis ulla interfuerit iniquitas; & poſtquam diligenti examine vos ipſos excuſſeritis, ea probate, quæ probanda ſunt, ea corrigite, quæ corrigenda; & reliquum diei ſpatium Domino offerte ſacrificia, ut vobis illum propitium efficiatis, utque frequentes ſpiritus evagationes, quas per hebdomadam paſſi eſtis, reparare poſſitis. *Idem.*

FIDELITAS IN REBUS MINIMIS.

Cura in minutis etiam officiis obeundis, & exiguis defectibus evitandis.

MONITUM.

HOC argumentum tantam habet cum peccati venialis fuga rationem, ut diu anceps fuerim, utrum utrumque uno complecterer titulo. Rebus in minimis fidelitas comprehendit etiam curam minima evitandi mala, eaque peccata, quæ levia, & venialia vocantur: patet enim quidquid diſcriminis intereſt ad illud referri, quod genus inter, ac ſpeciem intercedit; videlicet alterum altero latius patere; verum hoc diſcrimen ſufficere mihi viſum eſt, ut ſeorſim de utroque agerem, licet plurimi Concionatores utrumque ſimul confundant.

Cæterum argumentum hoc ex illis eſt, quæ nova poſſunt vocari; quoniam Concionatores veteres hoc numquam pertractarunt, & obiter tantum de eodem verba fecerunt, & unus, quem ſciam, Sanctus Chryſoſtomus hujus argumenti integrum ſermonem edidit eo in loco, quem Paragrapho ſecundo memoramus, quod non prohibet, quo minus maxime neceſſarium, atque utiliſſimum ſit, religioſis vero præſertim, ac iis, qui pietatem profitentur. Sin autem hinc ſatis copiæ non ſuppetit, ut integer impleatur ſermo de fidelitate in minimis rebus adhibenda, conſulenda ſunt ea, quæ de peccato veniali a nobis dicentur; difficile enim eſt non dici multa, quæ ad utrumque argumentum pertineant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Syſtemata.

I. IN virtutum via duo inveni, quæ ut plurimum omnem earum exercitationem partiuntur, res ſcilicet magnas, & parvas. Inter magnas, quæ a nobis in pretio habentur, præclara recenſeo facta, puta animarum converſionem, bona opera, large in egenorum ſinum effundere eleemoſynas, civitates integras ſuo zelo inflammare, immenſos labores ſubire, ſummas pati auſteritates &c. Inter parvas autem adnumero in pietatis exercitiis diligentiam, in ſtatus ſui obeundis officiis curam cum exemplo conjunctam, vitam procul a mundi tumultu ducere, ac muneri ſuo non deeſſe &c. Accidit autem vulgo, ut cum æſtimatione, atque approbatione res magnas excipiamus; minutas vero ita modico habeamus in pretio, ut iis animum ne advertendum quidem, neque eam, quæ par eſt, curam illis impendendam eſſe cenſeamus. Quamobrem ſermo hic ad eos refertur, qui tamquam infirmos ſpiritus contemnunt illos, qui hujuſmodi rebus adjiciunt animum, atque intra pietatis, & ſtatus ſui officia ſe continent, & ad eos, qui magnas tantummodo res, virtuteſque nitentes conſectantur, & nugas putant, quæcumque exterius non fulgent. Qua in re duo oſtendenda ſuſpicio: primum, non minori virtute, vi, & conſtantia opus eſſe, ut in minutarum rerum praxi perſeveremus, quam ut magna quælibet audeamus, atque ad Religionis incrementum, mirum aliquid adnitamur: Alterum, Deo non minorem afferre gloriam in minimis rebus, quam in maximis, & quarum felix eventus admirationem conciliat, vigilantiam. Hæ duæ ſunt hujus ſermonis partes.

Pars prima: Non minus virtutis, fortitudinis, & conſtantiæ in minimis, quam in rebus maximis requiri. 1. Humana etenim mens ſuopte ingenio propoſiti ſibi operis magnitudine inflammatur, quod non modicam aufert difficultatem; ſperat, futurum, ut ſi votorum ſuorum ſummam conſequatur, perfruatur fructu laborum ſuorum, & felicis eventus gaudium pręclara eorumdem ſit merces. Sed in minutis rebus nihil nos animat, nihil exterius nos excitat: cum quæ exigua facta vulgatiora ſint; infrequentius illis ſeſe immiſcet jactantia, rectior, purior atque integrior intentio eſt; præterquam quod plurimæ virtutum actiones, licet modicæ, cum frequentes ſint, præclariſſimæ actionis meritum poſſunt exæquare, &c. 2. Quia in vulgata rerum minutarum praxi non minus adeſt laboris, & difficultatis, (ibi enim cura, & exercitatio jugis eſt, & ſine intermiſſione) quam in maximis, quæ raro tantum accidunt in vita. Facilius longe eſt ſibimet vim adhibere iis in occaſionibus, quæ ſemel, vel & iterum accidunt, quam ſemper diligentem eſſe, frugi, compoſitum, in minimis uſque muneribus; ad id enim opus eſt, ſeipſum indeſinenter ſuperare, contra ipſius ingenii noſtri ſtudia operari; cum hominum animus quantum libertatis ſuæ cupidus eſt, tantum vim ſibi facere perhorreſcat. Opus eſt ergo virtute magis conſtanti, meliuſque roborata, ut quis in rebus modicis fidelem ſe præbeat. 3. Difficultates, interioreſque curæ, quæ ſuperandæ ſunt in minimarum rerum praxi indigere videntur virtute fortiori, & fortitudine magis confirmata, ne quis faſtidiat jugem earum rerum, quibus nulla ineſt illecebra, exercitationem; ne tædio afficiantur vitæ ſemper uniformis; ut ſexcentis ſe regulis ſubjiciant, ex quibus nullam coram hominibus gloriam percipimus, & quę coram Deo non admodum inſignis meriti videntur eſſe, qua in re plurimi decipiuntur. 4. Quia in modicarum rerum exercitatione maxime etiam virtutes exerceri poſſunt, humilitas, patientia, mortificatio, charitas &c.

Pars altera; ubi oſtendendum eſt, in minimis rebus non minus quam in maximis Dei gloriam promoveri. 1. Ita enim teſtamur, nobis altiſſimam eſſe de Deo exiſtimationem, ac ſublimem de ejuſdem magnitudine conceptum, cum beatos nos exiſtimamus, ſi digni habeamur, qui minima etiam illi præſtemus officia. 2. Sæpe Deo minima æque ac maxima placent, atque oſtendere poſſumus nihil in oculis Dei parvum eſſe, ubi pro illius amore, & gloria fiat, præterquam quod de Deo idem dicendum eſt, ac de terræ hujus principibus, ac Dominis erga famulos ſuos; quorum fidelitatem in minimis rebus experiuntur, ſi nihil ab ipſis, vel leve negligatur, ac illis nihil oſcitanter unquam excidere deprehendatur. Accidit etiam non raro, quod ſummorum virorum benevolentiam nobis conciliamus, minutis officiolis, jugibuſque opellis, quam inſignioribus benefactis; hęc enim putant ſibi tamquam debita reddi, eas vero tamquam amoris argumenta. 3. In minoribus rebus minus ſeſe immiſcet philaucia; minus ea quærimus, quæ noſtra ſunt; ideoque ad eas capeſſendas Dei tantum gloria, ſtudiumque eidem placendi nos poteſt impellere, & eam avertere nauſeam, quæ ut plurimum illas comitatur.

1. Negligentia in minutorum officiorum executione injuriam facit Sapientiæ Dei, quæ eas utiles, ac neceſſarias ſaluti, ęternæque noſtrę felicitati judicat. II.

2. Ejus lædit amorem, qui amoris noſtri diligentiam efflagitat, ne illi ulla in re diſpliceat.

3. Ejus lædit ſanctitatem, coram qua vel levis macula labes eſt turpiſſima.

BIBLIOTECA CENTRAL